DE VICTUS RATIONE IN Febre Acutâ Continuâ OPUS

IN TRES PARTES DISTRIBUTUM;

Vulgatumque Tyronum gratiâ:

Undè nempè quoddam veluti Specimen ministrandi, adhibendæque Continenti Febri curationis ii sibi capiant.

AUTHORE

PETRO DE ROTUNDIS.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis, 1739.
SUPERIORUM PERMISSU.

JACOBO III.
Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Franciæ &c.
R E G I

PETRUS DE ROTUNDIS
S. P.



Uæ ad erudiendam Juventutem proponuntur, in re maximè, quâ de generis hu-

mani summâ agitur, duobus hisce debent, opinor, potissimè commendari, sanitate doctrinæ; authoritate proponentis. *Alterum huic, quod evulgo, Operi meum fuit, quantum licuit, curasse: Alterum, quò me carere sentiebam, à te illi mutuum exoravi*, REX CLEMENTISSIME. *Nec profectò potui satius huic parti consuluisse, quàm, cum frontem ipsius Operis* REGIO TUO NOMINE *subiit inscribere. Undè enim æquè tantam ei authorita-*

tem

tem conciliarem, atque à REGE, *cui, præter nativam ſublimitatem, ſplendida tot argumenta apud omnes Bonorum ordines gratiam reverentiamque conciliant; ſeù ſpectentur religio & pietas, plena humanitatis gravitas, pacata illa adversùs fortunæ pervicaciam regalis animi moderatio, ac firmitas; ſeù statuantur è regione nullâ temporum diuturnitate emoritura Sanctiſſimæ* CONJUGIS *memoria, atque nata in vetuſtiſſima ſua jura, nec*

dege-

degener Majorum amplitudinis, virtutisque, florentissima Soboles? *Sed hunc domesticæ gloriæ, laudumque tuarum uberrimum locum jussi dissimulantes pudori ac temperantiæ tuæ integrum damus; cùm Principibus Viris nihil acceptius obedientiâ sit; minoribus nihil obsequio convenientius.*

Postquàm, igitur, vulgando operi abundè utrinque prospexi; proximum est, ut mihi ipsi prospiciam. Proindè supplex te Rex Ma-

GNANIME *etiam atque etiam oro, ut qui mea non dedignaris nominis tui majeſtate tueri, me quoque ipſum dignum ſublimi tuo Patrocinio putes. Vale.*

Romæ IV. *Eidus Sextil.* MIↃCCXXXIX.

IM.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici,

Philippus Spada Epiſc. Piſauri Viceſg.

OPus *De Victus Ratione in Febre Acutâ Continuâ &c. Auctore Petro de Rotundis* ex mandato Reverendiſſimi Patris Aloyſii Nicolai Ridolfi S. P. A. Magiſtri meo examini commiſſum nullâ ex parte adverſatur Catholicæ Fidei, vel bonis moribus; quin magno uſui eſſe cum poſſit medicinam aggredientibus, typis edi poſſe ac debere exiſtimo. Romæ ex Monaſterio S. Euſebii Kalen. Octobr. anno MDCCXXXIX.

Ego D. Fridericus de Judice Abbas Cœleſtinorum, ac in Rom. Archigymnaſio Sapientiæ Sacrorum Dogmatum Profeſſor.

OPus *De victus Ratione in Febre Acutâ Continuâ &c. Auctore Petro de Rotundis* elucubratum juſſu Reverendiſſimi P. Fr. Aloyſii Nicolai Ridolfi S. P. A. Mag. cum perlegerim, nihil Catholicæ Fidei, probiſque moribus adverſum continere teſtor. E' Cœnobio S. Mariæ ſuper Minervam v. Kal. Octob. MDCCXXXIX.

Ego Fr. Dominicus Vincentius Eleſante Ord. Præd. S. Theologiæ Magiſter.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

Si





SI desiderabile uspiàm foret, non fieri, sed nasci Artificem, certè in medicinâ foret. Non enìm alîus Artis perindè miserum, ut hujus, Tyrocinium est; in quo Curantis novitii *fama*, Curati *vita* periclitatur. Sed eadem, quæ reliquarum Artium, hujus nostræ conditio est; cum hæc quoque nonnisi multâ culturâ longoque usu, non secùs quàm aliæ, maturescat; ipsâque cùm exercentis ætate paritèr progrediatur. Huic publicæ calamitati obviam ut irent, instructioremque ac paratiorem Ægrorum curationi

committerent Juventutem, consummati in Arte Professores universam Morborum Seriem, Historiam, Curationem, Curationis præcepta, ac rationes, Auxiliorumque varia genera literis prodiderunt: Alii alia eodem benefico animo protulere in medium: Ut profectò multæ, splendidæque præluceant Tyroni faces. Verùm (ut sibi conscius quisque est) non esse adhùc satis hâc in re promotum animadvertitur. Quapropter non inutilem locasse operam rebor, siquid ipse etiam huic rei contulero; utque anteà paucis sigillatim, ità nùnc pluribus alicui commodo esse curavero. Id ut perficiam, non obruendum totâ continuò mole Tyronem censeo; Sed ad Ægrotantem manu veluti ducendum; ubi universam positæ antè oculos Ægritudinis curationem unico obtutu contempletur; ejusque ordinem rationesque visu ferè comprehensa, sicubi opus erit, suo usui traducat accommodetque. *Cumque Febris Acuta* & frequens occurrat, & velocitèr tumultuosèque sic moveatur, ut in eâ aggredienda, nedùm novitius, sèd vèl exercitatissimus

ſimus Artifex incertus ſuſpenſuſque hæreat ; ad *bujus fermè curationem* Tyronem introducemus ; cujus ſimilem ſimùl ac deindè offenderit, ſciat protinùs, quid ſit agendum ; neque hâc illâc evagetur, dùm intereà temporis lubrica, juxtàque Hippocratem, præceps occaſio è manibus elabatur ; neque febrem ipſam, temerè tumultuariòque ſiquid ineptiat, irritet tranſverſamque agat. Trademus unà, ut parùm vulgò curatam, ità ſuprà omnia neceſſariam, *Cibi Potuſque adminiſtrationem* ; tùm *potiſſimas Medici partes*, *&* *externa quædam officia* ; nec non *opportunitatem*, *modum*, *atque idoneum præcipuorum Medicamentorum uſum*. Subnectemus ultimo loco *pauca nonnulla de Febribus intermittentibus* ; *deque ipſarum curatione*, quæ propoſito quàm minimè diſconveniant. Hæc ferè omnia ad alios *Acutos Morbos* tranſferri facilè poterunt: plura etiam ad *Longos*. Undè inire poſſit ex ſeſe Tyro, brevem (ni fallor) ordinatam, dilucidam, minimeque intricatam curandi viam ; imò etiam (quantum noſtrâ hâc in arte ſperari fas eſt) certam tutamque. Ca-

vendum enim antè omnia eſt ei, qui ſe ceteris ducem dat, nè ipſe prior ab itinere deerret; bonamque ponè ſequentium fidem ſecum trahat in errorem. Id mihi videor ſatis providiſſe. Nàm quæ propono, nedùm meimet ipſius firmâ conſtantique experientiâ, ſed inſupèr ætatum omnium authoritate, atque uſu probata ſunt. Ut novam aliquam curandi rationem non obtrudamus; sèd quam Hippocrates, aliique poſt eum Medici, & Aretæus, & Galenus, & laudatiſſimi citeriorum temporum Viri ad hanc uſque diem Scripto, atque Operâ inſinuarunt. Quod verò certus unuſque morbus curandus proponitur, non ideò Tyro non aliis quoque curandis inſtituetur. Nullius namque conſilii homo ſit oportet, qui ordinandæ nutritionis rationem, captandæ remediis occaſionis monita, remediorumque ipſorum modum uſumque neſciat indè parem in rem alio tranſferre; quique celerrimi motus morbum curare cum noverit, ſibi poſt deſit in tardioribus, qui locum dant commodiùs deliberandi. Erit tamen qui cenſeat,

Nul-

Nullam peculiarem Febrem Acutæ continuæ nomine ſignificari ; cum Acutæ Continuæ, & plures, & multimodæ ſint ; utque ſpecie variant, ita variam unicuique deberi curationem ; neque generatim, ſed ſigillatim curari morbos. Malè, verum id ſi foret, curationem, opinor, traderem *Febris Acutæ Continuæ*. Sed ſe res habet longè alitèr. Non enim febres ceterique morbi vagæ per Populos Larvæ ſunt, quæ hominum ſanitatem, vitamque, quæſitâ occaſione infeſtent ; quemadmodùm fortaſsè bonus aliquis ſibi fingat. Non aliud porrò febris eſt, niſi certa quædam totius hominis alteratio, quâ ſanus ejus habitus pervertitur infirmaturque. Febricitamus verò nùnc exrinſecùs advenientibus, nùnc genitis intus cauſis ; gravius, aut levius ; pro harum ſive intentione, ſive remiſſione ; pròque variis turbatorum corporum conſtitutionibus : Sic ut *Febris* una ſit ; nec *ſpecie*, ſed *modo* duntaxat variet quod multis retrò ſæculis vidit Hippocrates ; Quodque ipſum, qui Acutam Continuam plures quaſi in Species partiuntur, curatione fatentur ; cum omnibus ferè eam-

dem

dem adhibeant. Siquid autem variandum ſit, loci, anni temporis, ætatis, conſuetudinis, habitus, ipſiuſque rei, ſiquæ ſit, varietas ſatis monet; quemadmodum & nos in loco monebimus. Qui nihilominùs Tyrones ament tot Continentium Febrium, quot minimâ quâque occaſione indita ſingulis ſunt, Nomina retinere, nil moramur; modò ne rem eâ ratione ſuam obfuſcent magis, quàm illuſtrent.

Verùm jam paucis expediam, (quoniàm locus admonet) quo inſtitutum *modò*, *qualemque* velim Tyronem, priuſquàm admittatur ad faciendam Ægrotantibus medicinam. *Latinæ* eum *grecæque linguæ* ſcire velim quod ſatis eſt: cum iis ars ferè tota contineatur. *Euclidis* deindè *elementa*, eo præſertim (memoriæ gratiâ) ordine emendata, quo nunc habentur: Unâ cum his, quæ *de luminis reflexione*, *ac refractione docentur*; quæque ſpeciatim ſpectant *ad viſum*: Tum & *Corporum tàm ſolidorum quàm fluidorum libramenta*, undè univerſa pendet ratio *omnis generis machinarum*: Quæ om-

omnia ad penitiorem plenioremque humani corporis fabricæ, motuumque notionem adipiſcendam plurimum faciunt. Plus verò quàm ſatis *in rerum naturalium contemplatione* verſetur, diſcurratque per omnium ad noſtra uſque tempora Philoſophorum Placita; ſeu Commenta, vel Somnia libeat vocare. In iis enim, ut raram, aut fortè nullam certitudinem, nullamque oculis demonſtrabilem reperiat veritatem, addiſcet tamèn varias neſcio quas adeundæ Naturæ vias, per quas à generalibus ac ſimplicibus ad minus generalia, & compoſita progrediendo, ordinatum quemdam ratiocinandi habitum ſibi comparabit, ad expiſcandas naturalium effectuum cauſas, indèque ad aliquid humanæ ſocietati utile excogitandum valdè accommodum. Neque *aliam illam* negliget *rationem, quâ ab effectibus in cauſas inquirimus, deque re notâ in ignotam pervadimus*, quoad ex obſcuro erutam efferimus in propatulum. Nonnulli hodie (quibus otium atque ad ſumptus fortunæ) inſtitutis pluriès experimentis, prout conſtantes re-

rum

rum proprietates effectusque observant, ità in medio statuunt, empiricæ veluti physicæ præludentes: Tyro ergò alienam istam, suo sine impendio si sapiat, lucrifaciet industriam, suosque deducet in usus. Cumque *Res Chimica*, præter eximias quasdam Medicinas, multifariam, mira, novaque commodet ad philosophandum argumenta; hanc quoque nunc contemplari oculis, nunc attrectare manu curabit. At paulò accuratiùs tàm *simplicium omnis generis, quàm compositorum remediorum seriem, ac vim* persequi optarem, utpote quæ propiùs ad ipsum pertinent: neque certè negligentiùs *Cadaverum Incisionem*. Etsi enim superiorum ætatum Incisores nihil, aut admodùm parum, faciendum Posteris reliquerunt, rem adeò omnem ob oculos posuere; attamen indecorum Medico esset, si uspiam incidendi daretur occasio, profiteri manuum inertiam. Vellem quoque Tyronem *aspectabilis hujus Universi, Terræ* præcipuè, in quâ natis degenda vita est, non ignorare *descriptionem*, decet enim artem hanc profitentem Cæli, Marium,

La-

Lacuum positum nosse, & vel salubre vel grave spirantium Ventorum animas. Vellem denique & *humanis literis* expolitum; sine quibus quâvis in Arte squalida omnia sunt, atque horrida.

Hæc, sanè singula, quò sibi esse usui possent, nosse aliquantò penitiùs atque ultrà corticem desiderarem; cum eo tamèn, ut horum scientia, non deteriorem, sed majorem Medicum eum faciat. Etenìm si ipsorum expeditâ jucunditate captus, iis totum se dedat, quùm medicinam frigidè & quasi quidpiam secundarium intereà faciat, magna quidem afferet in Artem, undè populum admiratione sui occupet; quanto autèm cum Ægrotantium commodo non ausim decernere. Illud certum est, quod rectam curandi rationem, non à magnis Geometris, magnisque Sapientiæ Professoribus, ut neque à magnis Anathomicis; sed ab accuratâ Majorum observatione omnes repetimus: Deque illis dixisse Hippocratem, *quæ de Naturâ agitarent, non tàm ad Artem Medicam pertinere, quàm ad pictoriam*. Nihil sanè non certum

C de-

demonstratumque in Geometriâ, quantitatumque disciplinâ est; ideòque, qui se iis nimiùm tradidit, ad sublustres dubiasque Medicinæ salebras ægrè deflectit. Rerum quoque naturalium libera, atque curâ omni soluta contemplatio; Quemadmodùm jucunda illa, frequentique novitate excitantia animos, quæ ab experimentali Physicâ, Chimicâque, emergunt, miracula, hominem longè abripiunt, avocantque à severâ, plenâque solicitudinum Artis Medicæ gravitate. Id idem efficiunt res Herbaria, atque Anathomica; quæ inquirentem spe proritant, inventione explent, varietate delectant. Idcirco, necessarium quùm sit, adjungi illiusmodi omnes facultates ad Medicinam, sine quibus manca, rudis, ac penè nulla ea foret, adhibendum temperamentum est; ut nempè Artis perfectioni, non voluptuoso Artificis otio illæ subserviant; quò utrique & commodo & decori sint. Cogitandumque frigidam esse quantamlibet voluptatem, quæ seorsùm ex iis capitur, si cum eâ comparetur, quæ à servatâ

vitâ

vitâ hominis, aut reſtitutâ valetudine proficiſcitur. Nàm qui induſtrius eſt, ut ſibi uni placeat, duplo minùs ſibi placeat neceſſe eſt, quàm ille, qui induſtriam locat ſuam in alienam utilitatem; quòd is & ſibi placet, & aliis, multòque ſolidiori de causâ. Rursùs: qui aliquid efficit reperitque, quod prodeſſe in poſterùm poteſt, is erit bonus civis & laude dignus: Qui ſtatìm & nùnc prodeſt, is certè eſt ſuprà aliorum civium conditionem: eòque magis, ſi in re prodeſt (quemadmodum prodeſt Medicus) quam ceteris omnibus fortunis ſuis, omnique alio, qualecumque fuerit in republicâ, civili pignore quiſque redimeret.

Reliquum modò eſt ad conſtituendam Artem integram, ut tandem Tyro inſerat iiſdem illis, quæ ad faciendam eam proximè pertinent. Ante omnia verò ordinatam abſolutamque morborum hiſtoriam: Quale eſſe ſoleat cujuſque ingenium: Quæ quemque excitent cauſæ: Quæ manifeſtent notæ: Quæ ſymptomata comitentur, aut ſubſequantur: Qua-

 litèr

litèr in singulis deliberandum; quodve capiendum consilium sit.

Instructo hâc omni Supellectile Tyroni clariùs cernere, quæ de faciendâ Arte scripta sunt, securiusque demum accedere ad ægrotantem licebit. Ut tamèn perpetuò memoriâ teneat, omnem qualemcumque perdidisse se operam, siquid remittat in faciendâ arte de diligentiæ assiduitatisque severitate. Cujus defectu omne illius penu corrumpitur, peritque funditùs. Et, quam paulò antè aliquis mirabatur, tanta rerum pompa, eidem mòx, in re cuique gravissimâ, decepto, statim vilescit. Nàm fieri negligentèr Medicinam, sine hominum offensione non est, ut speres. Nec ceteroqui consonum ulli uspiam rationi foret, quòd, dùm in aliâ qualibet arte vel maximè plebejâ lucere Artificum intentionem curamque volumus, nostram unam dignam reputaremus, quæ per incuriam exerceatur; cui scilicet sanitas & vita hominum commendata est; cujusque opportunitates lubricæ fugacesque per creperam plurimùm nebulam interlucent.

Soli-

Solicitus igitur Tyro omni in re, quæ ad Ægrum pertineat, nihil non observatum prætereat, assiduâque illi gnavâque operâ præstò sit. Ceteri enim homines, qui humanitatis, amicitiæ, proximitatis officia exhibent Aegrotanti, invisere illum dicuntur; Medicus non inconsultâ sanè loquendi consuetudine, dicitur visitare, quod est frequentèr invisere. Multa nàmque absente Medico intercedunt, quæ semel præterlapsa nec revocare licèt, nec emendare.

Monendum & illud ducimus, cautiùs agendum Medico, priùsquàm deponat rudimenta Tyrocinii, neque antè maturitatis tempus efferendos animos esse. Si quid dubium esse tentandum aliquandò videatur, Alium se peritiorem prudentioremque artis in consilium adhibeat, ne temeritati assuescat. Nisi alieni consilii fuerit copia, satius est nihil agere, quàm temerè audere: sed victus ratione, tutis remediis, intentâque prudentiâ rem agat; donèc ulteriori observatione, experiendoque firmatâ artè, sui conscientiæ liberiùs fidat. Noscet qui

ad

ad hunc ſe gerat modum, morbos quamplurimos inſtituto benè victu, ſolâque cunctatione curari: Nonnullos contrà ſpe fiduciâque ſimilis caſus illudere Medico. Neque Artificem eſſe, qui alteros ab alteris neſciat diſcernere; quique exultet in facillimis; cum in quopiam, ad quem tandèm opus Medico eſſet, trepidatione inertiâque deficiat. Proindè illuſtre illud præceptum, quo monemur *ſi prodeſſe minus poſſumus, ut ne noceamus*, hùc revocandum, opinor, ubi ancipiti nempè caſui adhibendà curatio eſt, in quâ artis prudentiæque medentis fit periculum. Non autem, puto, abuti illo generatim debemus in morborum curatione, cum ineptè moneremur, ne noceamus ægrotanti, qui medelam profiteamur; nec certè opus noſtrâ operâ illi eſſet, ſi aliud nollet, quàm, ut ne ſibi noceretur. Undè eſt, quòd ſi haſce explere partes aut neſciat, aut non audeat Medicus, injuſtè deindè queratur, ſi relicti homines arbitrio morbi ſe convertant dubio in caſu ad empiricas curationes.

In medendo verò, ut præſtantis,

itâ

ità probi Medici accurare est, ut qui vindicatus à morbo fuerit, sentiat deinceps, quàm fieri poterit minimùm, se ægrotasse. Nàm si è curato valetudinarium obnoxiumque fecerit hominem; eique superstitis vitæ (quantamquantam miserè victurus posteà erit) plures annos dempserit, quid indè laudis expectabit? Nisi si curatum, desperatâ jam salute, quâ licuit conditione servavit.

His præmonitis totam, reor, documus *propositi nostri* rationem. Scribimus *Tyronum*, bonique publici gratiâ. Siquid hìnc emolumentî intellexerimus proficisci, alia præstò erunt: quique curandi *Morbi Acuti* Specimen nùnc exhibemus, mòx curandi *Longî* compar dabimus. Nonnulla *de contumaci fœdâque illa lue*, quam vocant, *venereâ*, observando experiendoque collegimus. De hâc aliquid tradere meditamur; quo universam illius historiam curationemque complectemur. Ego quidèm eâ sum in sententiâ, ut quædam remedia, quorum juvandi nocendique æqua vis manifesta est, ea sint Medico maximè optanda:

da: pessimoque consilio à quopiam ineptè cauto eadem rejici, qui post vel inermis, vel imparibus ludicrisque armis securo cum hoste congrediatur. Illa enim si noceant, non suâpte naturâ nocent, sed imperitiâ ministrantis, qui ut prosint nescit efficere. Idcircò, post cognitum utcumque morbum, scrutandæ quoque *argenti vivi* naturæ, agendique rationi non incuriosam impendi operam, quò tutè uterer, atque aptè. Cum compertum aliàs haberem, Veneream luem, maximè quæ incidit in vetustatem, nullâ re aliâ æquè àc illo, vinci radicitùs. Quapropter haud inutilia de execrabili morbo, ejusque curatione me scripturum confido. Eoque magis ad id invitari me sentio, quod cogitatum quoddam eâ de re meum vix à me olìm dimisi, cum haud diu peregrinatum comperi (quippe quod nescio quâ novitatis gratiâ commendaretur) liberali ac stabili, exceptum, imò interceptum hospitio fuisse. Rem paucis narrabo.

Anno decimo octavo suprà millesimum septincentesimum transmisi Lutetiam

tiam (quod ſic eſſet occaſio) ut indè ad Monſpelienſes Medicos remitteretur, Conſilium quoddam meum, quo adumbrabam *Luis Venereæ per illitionem argenti vivi curationem*, quam tamèn *nullum Salivationis* (quod eatenùs factum erat) *tædium* conſequeretur. Docebam rei rationem modumque, addebamque nonnulla, quibus agilitatis effectuumque fluentis metalli neceſſitatem ob oculos proponebam. Quam vicem illud meum Conſilium ſuâ in peregrinatione pateretur, reſciſſe tùm non licuit; nec ipſe de eo, quæ mea eſt propriis in rebus incuria, deincèps ultrà cogitavi. Verùm biennio poſt *novam Luis Venereæ curandæ rationem illitu vivi argenti, undè ſalivatio non moveatur, à Monſpelienſi quodam Medico repertam, ſcriptoque vulgatam* rumor circumtulit. Equidèm, me id ſcriptum, nondùm legiſſe, & quomodò ſe res verè habuerit, fateor, etiamdùm ignorare; qui reputem, non penſi habendum, à quo quidpiam repertum ſit, ſed quid indè acceſſerit ad bonum publicum; quique idem ſciam, quotidianum eſſe,

unam eamdemque rem a pluribus cogitari. Nihilo tamèn minùs, illiusmodi Scriptum (tametsi præferre ajunt in fronte, fuisse se editum nescio quot annis antè id temporis, quod ego memoro) nusquàm *antè id temporis* visum lectumque est; Novum inventum non *antè id temporis* innotuit hominibus; Non *antè id temporis* in Monspeliensi Scholâ propositum propugnatumque est. Quomodo autèm cùmque se res habuerit, laudo beneficum Scriptoris ingenium; habendasque ei gratias censeo, quòd properaverit de Republicâ bene mereri. Is enim demùm credendus est reperisse rem, qui eam, usui publico proponit, non qui negligit.

Utinàm verò hâc novâ viâ id totum assequeremur, quod à salivando obtinemus. Sèd in vetustatis casu non plus ab hujusmodi curatione sperandum est, quàm ab eâ, quæ fit à Chimicis ingesto Mercurio, quem vocant, dulci. Quamvis commodior longè sit hæc nostra, eo saltèm nomine, quòd non adeò stomachum lædimus; quòdque rationem inire faci-

facile possumus vivi argenti, quiquid illevimus; id quod facere Chimici malè possent. De cetero una eademque curatio utraque est. Idem enim præstat argentum vivum intrò sumptum, àc extrinsecùs illitum; eàdemque omninò ratione Cathartica nùnc tertiâ, nùnc quartâ, quintâve quâque die intercalamus, pro modo seu poti, seu illiti remedii; ut scilicèt, motam materiam infrà derivando, salivationem prohibeamus. Quod commodùm de novà hâc viâ me monuit. Mirabarque, & adhuc miror, per tot retrò annos non fuisse id animadversum; cum (notâ alterâ curatione, quæ familiarissima est) adeò obvium, atque in promptu sit.

Reliqua de Lue hâc, eâque curandâ, ut jam diximus, aliò differimus.

DE VICTUS RATIONE IN Febre Acutâ Continuâ

PARS PRIMA.

C Ibi potuſque modus ut ſanis Corporibus utilis, ita infirmis neceſſarius eſt. Quo neglecto parvus ſæpè morbus excreſcit in magnum; magnus propè eſt ab exitio. In acutis quidèm morbis triplicem ſtabilierunt Artis Conditores Victus differentiam: diſtribuuntque in *tenuem*; *magis tenuem*; & *tenuiſſimum*, qualemcumque exigunt ſeu morbus, ſeu

ſeu morbi tempora. *Tenuiſſimus* abſtinentiâ omnimodâ: huic proximus *Tenujor* ſolâ aquâ concluditur: *Tenuis*, præter aquam, certa permittit, quæ quidèm alant; sìc tamèn, ut citrà noxam. *Inediæ*, atque *Aquæ* ſub certis morbi temporibus locus eſt: Reliqua tempora occupat *victus tenuis*.

Si quâ, igitur, *Ardenti Continuâ Febre* quis ægrotet (hujus enim curationem tradere ſpeciatìm ſuſcipimus) eſculentis omne genus, alimentiſque valentioribus, carne præſertìm, vinoque, ſtatim ab initio interdictis, non plus quàm potulenta, in tempore exhibenda, deſtinet ei Medicus. Quæ, quòd momentò ingeruntur, citòque vèl imbecillo ventriculo conficiuntur, neque faſtidio, neque morâ multum negotii faceſſunt Ægrotanti; ſufficiunt verò quod ſatis eſt ad protrahendam atterendamque vim morbi. Hæc duplici genere comprehenduntur. *Altera* enim ſubſtinendarum virium nutritioniſque potiſſimè; *Altera* hujuſmet quidem rei, sèd præcipuè ſitis humectationiſque, ſæpè etiam Medicinæ gratiâ miniſtrantur. *Prioris generis* ſunt, Avenæ, Hordei, Farris, Orizæ, Panis aquâ incoctorum *Cremor*, quem per linteum trajectum,

quia

quia sorbilis esse debet, *Sorbitionem* quoque vocarunt; item carnis *juscula*, vitulinæ, vervecinæ, gallinaceæ, tùm aliûs, quælibet fuerit, paris materiæ; si magis conducere *juscula* videantur. *Alterius generis* sunt, vel aqua ipsa sive egelida, sive frigida; vel eadem hæc (utique si de nativâ ejus bonitate dubitatio est) ex hordeo cum addito momento radicis dulcis decocta, quam græco vocabulo *Ptisanam* nominant. Hæc potio, & usu recepta latè est, & ab Hippocrate peculiaritèr commedatur. Etsì alioquì integrum Medico curanti est id Ægro suo potui dare, quod convenire maximè videatur; talibus nempè delibutâ aut quomodolibet medicatâ aquâ, qualia ex usu fore pro morbi ingenio crediderit.

Sorbitionum, *Potionumque* Specimina differimus ad calcem hujus Partis. Quo delectu atque ordine, quove discrimine tribuendæ illæ sint, statìm expedio. Ægrotantis, igitur habitum, ætatem, consuetudinem, vires; tùm anni tempus, Soli Cœlique naturam, horum peculiarem, siquæ fuerit, constitutionem probè anteà consideret qui curationem aggreditur; dispiciatque prudentèr quid universis, singulisque apprimè consentiat. Pueri, eaque

eaque omnis ætas, quæ Pueritiam Juventamque interest, itèm qui firmo sunt corpore, qui stomacho validi, qui assueti bis in die, aut etiam pluriès cibum sumere, qui durati exercitationibus, qui carnosi nec tamèn obesi, quique biliosi ac tenues, ii omnes *Sorbitione*, utique per æstatem, aptiùs nutriuntur, quæ mixta edulio est, bis in die exhibetur, humectat unà refrigeratque, unde etiam accommoda febri est. Qui contrà se habeant, eos *jusculo* meliùs nutrias, quo nulli tempestati dissentias, viribus certiùs consulas, neque morbo officias, neque stomacho; quin id habeas in eo commodi, quòd medicari facillimè quâ velis cunque re possis incoctà scilicèt, vel infusâ. *Sorbitionis* septenæ octonæve unciæ; *Aquæ*, *Ptisanæve* similis modus; *Juris* cyathi quatuor, unciæ nimirùm quinæ, satis esse in unamquamque vicem Febrienti possunt; sic tamèn parata singula, ut gratiam palato concilient, non autem fastidia creent. Cetera provideat Medicus, cujus nosse est siquid fuerit vel addendum, vel minuendum, vel mutandum omninò; quod fieri quandoque usuvenit.

Itaque, ubi *Sorbitionem* res suaserit, victum sic ordinato. Primo mane jus præbeto, quod

quod ad vires ſimùl febrimque reſpectet. Ternis indè horis ſiccitati ac ſiti obviam ito exhibitâ aquâ, ſive ptiſanâ. Sub meridiem dato ſorbitionem. Ternis alteris à ſorbitione horis, iterùm dato potum. Bihorio poſt juſculum. Horâ cœnæ, Sorbitionem alteram. Tribus poſt horis, potum; hìc ſanè largiuſculum, quo ſomnus alliciatur. Ægrum per noctem (ſiquidèm dormit ſatis placidè) nullâ ex causâ expergiſcito; nihil enim facere illi auſpicatiùs poſſis, quod tempeſtivo ſomno conducat màgis. Si pervigilio diſtinetur; ſi inquies dormitat, quod è re fuerit, diſtribuito; juſculum, ſi vires langueant; ſitienti ſiccoque, potum. Poſtridie, ut & diebus deinceps ſequuturis, niſi quid interceſſerit, idem fermè facito atque pridie, orſus à juſculo. Quod ipſum bis, tervè intra diem univerſum cremori potuique interponere curæ erit. Cuſtodiendis namque Ægri ſui viribus advigilare Medicum in primis decet; nè, quarum non fuit anteà ſollicitus, eas deinceps inter curandum ſerò deſideret. Ad id quoque animum advertito, quod ſuper cremorem, merus dilutuſque cum ſumitur, ineptè ingeras potionem. Hanc nihilominùs deinceps proximè omnium

apponito, licet longiuſculâ interjectâ morâ, quùm ille non adeò brevi conficiatur, uti puta liquida, quibus trànſmittendis bihorium ſatis cenſetur.

Ubi verò præſtet *jure* tantùm & *aquâ* rem tranſigi, commodiùs multò eſt. Nàm qui Ægrotanti miniſtrant, expeditiſſimam hanc rationem facili negotio exequuntur, quâ modò *juſculum*, modò *ptiſanam*, ſeu quemlibet alium præſcriptum potum, *unoquoque trihorio* interdiu noctuque alternare habeant: ſic profectò, ut *ſextâ quâque horâ juſculum*, *ſextâ quâque ptiſana miniſtretur*. Hìc verò, ubi alternis res agitur, omitti potio quandòque poteſt, ſitis ſi patitur, ferè autem non patitur.

Tributo hoc victui ordine, locus quoque fit iis Artis auxiliis, quæ ſumi ex cochleari præcipiuntur, medius ſcilicèt inter ſorbitionem, atque potum. Quò ejuſmodi remediola ſatis commodè ablegantur. Nàm ſeſquihoræ ſpatium votis ut reſpondeant, abundè iis eſt; neque verendum tantillâ copiâ (de qualitate tute caveas) ventriculum ſuo in opere interturbari.

Fit aliquandò ſeu ex peculiari Ægrotantis conſuetudine, ſtomachique conditione, ſeu

ex

ex virium languore, rariorumque ſymptomatum interventu, ut aliquid ab hujuſmodi victus inſtitutione, utrâvis cœperis, ſit declinandum: quùm nempè vel immutanda alimenti genus moduſque fuerint, vel invertenda pro re natâ ſtata refectionum ſpatia, vel ſit Æger virium causâ frequentiùs, utut parciùs, reficiendus. Id quidèm curantis judicio arbitrioque relinqui jus faſque eſt: ſic porrò, ut quam fieri poteſt minimùm ab incœpto recedat, atque ita rem agat, ut tamen victus ratio ſervetur; quâ ſine quidquam boni in graviori morbo fruſtrà ſperes.

Et hic quidèm victus eſt Continuâ in Febre, quæ neque exacerbationes, neque acceſſiones ullas habet; ſed vel ſenſim ſua per incrementa, vel primâ ab origine eodem uſque paſſu progreditur. Atque hic idèm eſſe poteſt in eâ Continuâ, quæ aut quotidie, aut alternis exacerbatur: dummodò ita ordinetur, ut *tribus antè* exacerbationem, *tribus poſt* eam horis alimentum omne genus ſubtrahatur. Quod ſedulò ſervato, nè vel producas acceſſionem, vel intendas morbum, agaſve in deteriùs. *Vires*, inquies, *anxiuſque æſtus ſex horarum jejunia ſiccitatemque malè ferant*. Quid verò

vetet, quin anteà providentèr id omne occupes quâ valentiori ſorbitione juſculove, quâ dato aliquantò liberaliùs potu? *At acceſſiones incertæ vagæque ſunt, neque ſtato ullo diei tempore opperiri eas licet, neque occupari ùt monetur*. Tùnc ſanè opus eſt accuratiori conjecturâ atque induſtriâ; inque eo adlaborandum, ut ſuſpensâ manu noceas quàm minimum, donèc incertas vagaſque in ordinem redigas: Id quod rectâ victus adminiſtratione non rarò obtineas; quæ ſcilicet acceſſionum materiæ nihil novi ſufficit; quod verò inerat jam, illaſque excitabat, ab ipsâ febri paulatim digeritur, atque ad judicationem rejicitur.

Sèd & morbi *tempora* in diſtributione victus obſervanda ſunt. Hippocrates ſanè, ejuſque Æmuli penè omnes, *inter febris initia* non adeò tenuem inſtituunt victum, illius præcipuè, quæ paulatìm incrementa ſumit, ſensìmque procedit ad ſtatum. Alii contrà abſtinentiâ principio pugnant, eò uſque ſeveri, ut ne os quidèm aquâ elui *toto primo triduo* permittant. Verum experientiâ arbitrâ utrumque exolevit. Nàm quàre pleniorem offeras victum per initia, quùm febricitantium plerique reſpuunt magis, quàm appetunt; quùm non-

nondùm vires attrivit morbus, quas vel dispensata opportunè aqua optimè tùnc substineas; quùm pleniori victu materiam morbo addas novam, abstinentiâ concoquas veterem. Hæc, contrà, omnigena ac triduana ultrà omnem humanitatem est, quæ quâlibet læditur insolentiâ. Tametsi enim bruta quædam animalia triduanâ quatriduanâve inediâ suos quosdam morbos curare videntur; intereà tamèn, si copia est, assurgunt ut bibant, fortè nè incidant in languorem; cum & aqua excitet siccescentium vires; eo, reor, pacto, quo flaccescentem funem solidat restituitque humectando. Quamobrem incipiente Febri, si adfueris, nihil molitor, quoùsque eâ longius digressâ temperari concitum sanguinem atque æstum, tempestivum sit. Tunc exhibitâ aquâ sitienti prospicito; plusque sitienti plus aquæ ingerito. Si quando enìm, nullo interposito cibo, solo potu rem agimus, licet agere & liberiùs, & liberaliùs: sic tamèn ut irrigemus corpus, non alluvione corrumpamus, ex quà arva etiam messesque putrore squalent. Imò siquidem siccitas sitisque benè dilui exigunt, non modò non plus nimio aut donèc satias ceperit, sed neque confertìm, neque unico avi-
dìus

dìus haustu bibi sinemus. Quod si iterùm bibendum fuerit, quia è re sit, id providendum, ut *biborium* saltèm à potu intercedat ad alterum potum: undè nec areant absumanturque viscera, nec nimio obruantur humore sìc, ut ægrè resiliant. Largiorem aquæ modum postulant sanguineus biliosus habitus, florens ætas, febris ardentior, cutis faucium linguæ ariditas, anxium pervigilium, adstricta alvus, lotii tùm paucitas tùm crassitudo, nec sanè postremo loco (utique si horum pleraque unà incidant) adulta Æstas: Quo tempore noctes minimùm roscidæ, longi dies, soles æstuosi, exucta corpora, sitis, languor adhùc uberiorem humectationem refrigerationemque suadebunt. Atque ità quidèm *alteram primæ diei partem tenuissimo victu, ferè tenuissimo alteram* sat benè transiges. *Posterius tempus tenui* moderabere, quo suprà tradidimus ordine; habità Ægri, atque Ægritudinis ratione. Sicque declivi lubricâque in re te præstiteris, ut nequid hìnc aut illìnc deflectas: quod minimo negocio intervenerit, siquid oscites. Cauto opus est per incrementa ad statum usque: multò magis sicubi apparere proxime judicandæ febris indicia coeperint. Consultiori manu nùnc victum

victum diſtribuito: qualemcumque, ſiqui intereſt, obicem intentâ induſtriâ amoveto: ſiquid ſuperficit minuito: ſi deeſt addito: ſingula accuratè diſpicito; adverſus inſtans judicium nequid ineptias; neu ſatagentem naturam fortè impedias, quam tuum erat expediiſſe: quandòque quidpiam opitulari arte: nihil moliri quandoque præſtat; utique ſi, quæ facienda prius fuerant, ritè feceris. Perfectè *judicato*, aut quomodocunque *victo jam morbo*, tùm demum *à tenui victu* recedes paulatìm ad *pleniorem*: cujus de genere modoque non tàm appetentia, quàm revireſcens valetudo monebit. *Alterum* igitur ab intermiſſione *diem* juſculo auſpicator; Cremoris vice, dato in prandium *pulticulam* aut *jure aut lacte incoctam:* Si jus mavis, *recens ovum* in id liquato: Addito ſecundæ menſæ aſſum pomum, pyrumve: panem reſtituito: *Ptiſana* adhucdùm in potum eſto. Id ipſum in cœnam apponito. *Perendie*, ſiquidèm res procedit in meliùs, iis iiſdem aut ovum ſorbile, aut aliquid de pullo gallinaceo, vel elixo, vel aſſo, aut quid ſimile adjicito de mediâ materiâ. Potui rectè dederis vinum lene largè dilutum. Atque ità in dies proficito, quouſque hominem ſibimetipſi dimiſe-

miſeris, quod tuâ intererat, non recidivum.

Iſthæc nutriendi ratio, quam hactenùs Acutæ Febri tradidimus ad quemcumque alium acutum morbum, ſive ſine febre ſit, ſive hanc habeat comitem, paucis in rem præſentem accommodatis verſiſque, transferri facilè poteſt. Quin & illi quoque *Febri*, quæ per acceſſiones redit certaque habet remiſſionis intermiſſioniſque tempora haud operosè aptaretur. Sed libet ſeparatam ad eam deſcribere; etiamſi præter inſtitutum id effecero.

Quamobrem, ſiquis febri correptus, poſt diarium, vel paulò longiorem laborem, ad integritatem rediit; non idcircò feſtinaveris. Sèd in cauſas accuratè inquirens, propoſitâque ob oculos anni tempeſtate (habent enim & morbi ſua tempora) cautus opperitor, nùm in *Quotidianam*, nùm in ſimplicem aut duplicem *Tertianam*, nùm rurſus in *Quartanam*, eruptura illa ſit; nè præpoſterè ægrum alas magno cum ſuo damno confidentiùs, quàm oportuit, nec ſine imperitiæ notâ. Ubi conſtiterit qualis illa ſit, obſervandi ſunt acceſſionum circuitus; tùm ſpatia durationis quantaquanta fuerint; tum illud maximè remittantne ſolùm an intermittant omninò. In *Quotidianâ*, *Tertia-*

nâque duplici (rarius in ſimplici) id aliquandò contingit, ut febres penè jungantur, nec niſi remiſſione diſcriminentur. Tùnc ſub ipſo remiſſionis initio largiorem aquæ hauſtum permittito. Idque primâ die; quâ nihil ultrà obtuleris, ſi vires patiuntur. Alterâ verò, manente frigore vel horrore, abſtineatur, porrigaturque ſitis per ſuccedentem febrilem æſtum, quoad ſubſtiterit incrementum. Hîc aquam, ſeu Ptiſanam ingerito nec multoperè frigidam, nec liberaliùs quàm par eſt. Simùl, ac cœperit remiſſio (quo non aliud opportunius expectas tempus) febrientem alas oportet; ſed parcè admodùm, dilutiori nempè Cremore, vel Ptiſanâ paulò valentiori, quæ à potu ſint, quàm à cibo propiora; diducanturque quàm ocyſſimè, nè ab acceſſione, quæ imminet, occupentur. Siccitati æſtuique ſatis in anteceſſum conſulitur os fauceſque identidèm eluendo aut calidâ, aut diluto aceto, aut aliâ quâlibet ratione. Ut tamen ſcias intereà, quòd ſi ſecùs feceris, vel exaſperabis acceſſionem, vel quæ intermiſſura demùm erat, febrim efficies continuam; quam, fieri olìm poteſt, ut malignam appelles. Contrà ſi monſtratâ proceſſeris viâ, poſt binas, ternaſve acceſſiones cer-

tò impetrabis, quæ remittebat solùm, eam ad omnimodam intermissionem esse deventuram: utique, si nec cetera omiseris, quæ peritum Artificem decent.

Longè expeditius erit Medici ministerium, ubi Febris ad integritatem venit; seu duplex, seu simplex tertiana, seu quartana sit. Tametsi *Duplex Tertiana*, utut intermittat, concedere tàm exigua solet integritatis tempora ut cogat in angustum Nutrientis industriam. Itaque, quandiu intermittit, videris. Sì admodùm brevi intervallo, ut nondûm confectum alimentum, quod tùm dederis, excipi vitiarique à proximè successurâ accessione sit metuendum, in ipsâ remissione (quod faciendum suprà suasimus) prius quàm constet integritas, illud præbeto; tale autèm, ut diductum speres, antequàm nova Febris superventu corrumpat: cum enim optimus alendo locus sit, corpore quàm integerrimo, ubi is non fuerit, confugiendum est ad secundum. Si pares; si impares accessiones sunt; utrisque & convenientia alimenta, & alendi tempora comparabis. Si idem contingat (solet enim) in *duplici quartanâ*; idem & cum, eâ facito. Id verò monendum hâc in re superest, quod

quùm

quùm ejuſmodi febres affligere vehementèr ſoleant, neque ſempèr ſint, pro Curantis arbitrio, ſolutu faciles, non adeò eſſe tenuis victus debet, ut vires intercidant, quæ præcipuè omnium Aegro perindè, atque Medico ſunt neceſſariæ. Ideoque induſtriâ intentoque animo opus eſt, tùm ut nè plus juſto eæ langueant, cùm ut nè plus cruditatis, cauſæque morbo ſufficiamus.

Omnium communiſſimæ *Tertiana*, *Quartana*que ſunt; illæ nempè quæ tertiâ vel quartâ quâque die hominem per aliquot horas quùm exercuerint, fuſo ſub deceſſione ſudore, finiuntur, affatìm mediæ quietis relinquentes, antequàm tanquam ex compacto revertantur. Harum circuitus ſi vagi incertique fuerint (eſſe enim conſueverunt, ſpeciatim qui ſine frigore aut rigore aggrediuntur, deſinuntque ſine ſudore) id memineris, quod ſupra monuimus, ubi de vagis incertiſque continuæ febris exacerbationibus ſimilis quæſtio incidit; ne ſis, cui prodeſſe fuit animus, ex imprudentiâ nociturus. At ubi ſtati, certique illi ſunt, id generatim ſervandum eſt, ut per ſex, vel minimùm quinque horarum abſtinentiam præſtolemur acceſſionem. Nàm & febris paulatim effi-

citur, movitque multò ante corpus, quàm esse motum ipsi sentiamus; etsi integros inopinantesque nonnunquàm corripit. Accessio, ubi coepit, abstinentiâ excipienda itèm erit ad statum usque, & paulò ulteriùs. Etenim, siquid ingruente, vel vigente febre à Medico peccatur, Æger alieni peccati poenas luit. Frigus porrigitur in rigorem, crudescunt symptomata, irritatur febris, ordo morbi subvertitur. Non priùs igitùr, quàm proximè decessuram febrem senseris, Ægro permittes, ut bibat; aquam, si bonæ notæ sit, si minùs ptisanam; hancque egelidam, assueto verò paulùm etiàm nivatam; & liberali porrò haustu. Tùnc enim, nedùm siti, ardorique consules, sèd sudore largiùs expresso ejus diei judicationem accelerabis. Contrà autèm si præpropero obsequio potum indulseris dùm crescit febris, aut adhuc in vigore est, reside paulispèr æstu, utilem navasse operam primò videbere; verùm, ubi fervor iterùm sese expediit, intendi planè omnia, &, quasi de novo coeperit, protrahi multò longiùs accessionem animadvertes; teque intempestivi officii serò poeniteat. Atque hinc videre est quantâ animi intentione, quantâque sedulitate in Ægrotantium, qui nostræ fidei se-

se

ſe credunt, adminiſtratione opus nobis ſit, ne quâ noceamus; cum tàm levi negotio, & vèl aquæ hauſtu nocere eatenùs poſſimus. Quod ſi in tertianâ, quartanâque capitale non fuerit, quarum ſive ingenium, ſive intermiſſio potis eſt corrigere ſiquæ leviùs peccamus; non item non erit in continuâ, quàm ſemel effrænatam haud facilè in ordinem redigas; undè vel Æger miſerrimè in præceps datur, vel neceſſe eſt Medico, ut deindè plura ſimùl feſtinet ſupplicia, quibus, maximo cum alterius impendio, quod ipſe erravit emendet. Atque utinàm id rarò contingeret! Sed qui in intermittente facilis viſu eſt, quæ diſtinctiora præque oculis habet ſui ſpatii membra, continenti in Febre, cui nulla requies, nulli temporum articuli, ſub ipſo rerum tumultu error Artificis impunè obtegitur. Verùm redeamus in viam. Eſt enim interdùm, ubi Medicus prudens ſciens à rectâ deflectat, in maturius, de quo ſermo erat, potus obſequium: Quùm ſcilicèt, *Tertianæ*, *Quartanæque* acceſſiones longiores ſunt, ſeriuſque ſe declinant; ſitis verò, habituſque Febrientis differri potum abſque ipſius noxâ neutiquam patiuntur. Tùnc aquam dari præſtat, quàm mitti ſanguinem (id quod

ex antiquis quidam faciebant; nec desunt hodie qui faciunt) non anteà verò, quàm sitis patientia locum definiat: nunquàm certè priùs, quàm pedes recaluerint (quod tanti fecit Hippocrates, ut quâdam veluti lege vetet, quidquam offerri febricitanti, cui pedes etiamdùm frigent) sed neque, sitim explebimus, neque fervorem restinguemus. Utiliùs fuerit, quod usu comperi, parcè, perque vices, apto inter quamque spatio, potum distribuere; quò nimirùm sitis æstusque ità temperentur, ut tamen materiæ Febrim facientis secretio minimum quoad fieri possit, interturbetur, sicque leni manu, nullâque illatâ vi ad judicationem res deducatur.

Solutâ accessione, reductoque homine, ad integritatem, tùnc denique cogitandum de nutritione est. Veteres porrò Medici intermittentium curationem maximam partem victui credebant; ideòque quietis quoque temporibus habere ejus soliti erant haud mediocrem rationem. Nos *certæ* fidimus *arboris cortici*, haud ita pridèm peregrè ad nos advectæ, quâ potâ corrigitur causa febris. Quamobrem, nisi si aliud sibi poscant vel superstes cibi fastidium, vel siquid minùs solitum, ferè ut sano, licèt

ali-

aliquantò accuratiùs temperantiuſque, cibum apponimus vacuis à febre diebus, nec arcemus à vino: relicto medicinæ matutino, veſpertinoque tempore, illo videlicèt, quod maximè utrinque diſtet ab alimento. Atque idipſum poſt unumquemque circuitum facere pergimus, donec febris, qualisqualis fuit, univerſa reſederit. Quamvis neque ejuſmodi quieti ſatis tutò credimus; facilè enìm malum revertitur. Idcircò oportet meminiſſe, quâ noviſſimè deſiit die (id quod minimi negotii eſt, quùm moleſtum neſcio quid retentare recens ſanos eâ die ſoleat) tùm aliquandiù deinceps id omne, quicquid fore noxium opinio eſt, cautè vitare.

Principem igitur, quæ *de victu eſt, partem* jam tradidimus; non quidèm abſolutam, quâque plurima illa, quæ aut ſpectari, aut incidere in eâ poſſunt, diſcriminatìm diſertèque proponantur; ſed certè talem, quæ medicinam aggredienti quædam veluti facula ſuo in tyrocinio præluceat, ne navim vix ingreſſo hæreat aqua. Siqui verò alimenta ægrotanti ſcitè rectèque tribuat, is profectò explet, etiamſi nihil ultrà audeat, quod fortaſsè præcipuum in arte eſt. Reliquum, quod ad victum pertinet,

tinet, eique ſubſervit, in alteras duas Partes digeſtum proximè comprehendimus. Interea, quæ hùc deſtinavimus, aliquot *Sorbitionum, Potionumque* ſpecimina jam ſubjicimus.

Itaque, *Candidi Panis pars interior* elota macerataque frigidâ, atque ex linteo expreſſa erit *Sorbitio* ardenti Febri ſatis accommoda; affuſoque aceti momento erit eò gratior, atque, in loco, convenientior.

Et qualiſcunque *triticeus panis* aquâ parumpèr incoctus, deindè trajectus expreſſuſque, additâ ſalis atque Sacchari conditurâ, idoneam itèm dabit ſorbitionem.

Freſſam *Avenam* aquâ incoctam colatamque; ſale ſaccharo, atque aliquot lactis amygdalini, vel etiam caprini cochleariis ſi condieris, ſorbitionem efficies haud inſuavem vehementi in febri.

Hordeo itèm freſſo, elixo, colatoque idem adhibèto condimentum; & Sorbitionem habebis universâ conſentiente antiquitate, utilem.

Ex *farre*, atque *orizâ* Sorbitio eâdem ratione confecta opportunior erit, ubi permittente febri aliquantò validiùs alendum. Quin quandoque *fruſtulum vitulinæ*, ſive *lac caprinum* cum alterutrâ fruge ſimul coquitur, quod

cum

cum addito momento ſalis & vice conditur æ ſit, & firmiùs alat.

Linteo non trajectæ Sorbitiones, *integræ* nominantur; danturque, vel minùs urgente febri, vel iis, quibus, cum liquidiori lædantur victu, paulò craſſior rectè conceditur.

Omnes autèm, & quotquot harum ad exemplar reperiuntur, *bis tantum in die* offerendæ Ægro ſunt; ut ſcilicèt, dùm ſubſtinere vires, conſuetaque nutritionis tempora ſervare ſatagimus, ſolidioris alimenti frequentiâ morbo pabulum ne miniſtremus.

De conficiendo *jure* (ſiquidèm loco ſorbitionum eo utimur) ſupervacaneum eſt, ut quicquam dicam. Nemo enim neſcit, fieri illud elixâ carne aut vitulinâ, aut gallinaceâ, aut ſimili aliâ. Illud tamen adjiciam, rectè nonnunquàm unâ incoqui vel ſalubre olus, vel radicem, quæ ad morbum reſpiciant; rectè etiam identidèm affundi illi, dùm ſorbetur, aut pulviſculum, aut liquorem, qui eòdem collineent; modò nè ſimùl nauſea affundatur. Idque intereà in adminiſtrando jure ſervandum perpetuò eſt, ut per febris initia imbecillius uſque ſit, valentius ſenſim efficiendum, prout levari febris videbitur.

Sedenim *Potionum* Penaria inſtructior multò eſt. Pauculas nihilominùs è plurimis tradam, ne his videar luxuriari, quæ nec ſunt inventu difficiles, & penes rerum Medicarum Scriptores paſſim occurrunt.

In acutis ſanè morbis, qui ſine febre ſunt ſæpè ea potio relinquitur laboranti, quæ erat ſano quotidiana. Interdùm & paratur, quæ convenire affectui, quiſquis ille eſt, ſpecialiùs videtur. Hìc verò de Potionibus agimus, quas ratio atque uſus acutæ Febri deſtinaverunt. Cumque dubium nemini eſſe putem, quìn exlex ſanguinis totiuſque corporis æſtus præcipuum ſit ejus morbi Symptoma, undè priores Medici adducti ſunt, ut uno ex calore ipſam definirent, hìnc palàm eſt, quæ temperent refrigerentque ei deberi potiſſimum potiones. Tametſi nonnulli (dubito an bonis cum Ægri rebus) certis in Febribus, iiſque peracutis, malunt quæ calefaciunt ingerere, eo conſilio, quò nimirùm Naturæ morbi materiam foràs propellere ſatagenti, ſuppetias maturiùs ferant. Tanquam ardens Febris ipſa per ſeſe par non foret amoliendo quod inimicum intùs eſt: aut ſtimulo egeret potiùs quàm fræno, quæ certè morboſæ materiæ ſecretioni non porrò

rò prius locum dat, quàm, æquabili motui reſtituto ſanguine, aliquâ ex parte ipſa deferbuit. Ex ſuperaddito autèm impete, ut ſanguinem tumultuariò, ità quicquid cum ſanguine fluitat confusìm differt; quâ ex re, vel diſtrahitur, quæ feſtinabatur ſecretio; vel alicui viſcerum novus aliquis, qui futurus aliàs non erat, morbus impingitur; vel re in præceps datâ, ejus deindè reſtituendæ ſpes omnis, quam ſubſtinuiſſe noſtrum erat, peſſum & datur. Neque profectò neſcimus eſſe, ubi potiones naturâ calidas, quìn & vinum ipſum dari, pars artis eſt. Verùm tùnc aut elanguit, ſibique deeſt febris; aut aliò, quàm ad febrem reſpicit Medicus. Ceterum Acutâ in Febre potiones aliæ alibi uſitatiores ſunt, ferè tamèn conſentientes atque congeneres.

Communiſſima penes omnes eſt, quam ubique gentium appoſuit ſitientibus Natura facilis, *Aqua fontium*, vel egelida, qualis hauritur ab ipſis, vel ubi res poſtulet nive frigida; vel calida etiam ubi res poſtulet. Vehementes diutinæque, ſiquæ præceſſere, corporis exercitationes, undè laxitas languorque ſit, temeti potationes immodicæ, ætas juvenilis, bilioſus ſiccuſque habitus, tempeſtas febriſque

 æſtuo-

æstuosæ à frigidâ meliùs habent. In plerisque pectoris morbis calida utiliùs datur; in quibus haud daretur frigida sine periculo. Etsi est, inter curandum hosce quoque morbos, ubi piaculum non sit, imò consilium, egelidam indulgeri.

Sicubi plus justo sanguis exæstuat, moderandus fervor est. Ad id *sal ex sulphure nitroque* excoctum, aut *nitri crystallus* in aquâ solvitur. Expresso item *omphacio, maloque punico*, aut id genus aliis, qualis occasio est, eadem illa temperatur; vel, si efficacius agendum, qui *succus è sulphure, atramentove sutorio* igne elicitur (Spiritum vulgò nominant) eidem affunditur, usque dum leni imbuitur acore.

Lac quoque è *tusâ græcâ nuce, cucumerumque semine* mulsum, adjecto in condimentum Saccharo, vel syrupo idoneo, aquæ si miscueris, *lacteam* efficies *potionem* pro tempore exibendam; ubi præsertim non satis unguinosi sanguinis notæ adsunt; inquies, insomnis ægritudo; spiritus acer nec vaporosus, cutis arida. *Lactea* ejusmodi *potio* neque diù, neque per universam valetudinem trahi solet. Interdùm tamèn largè diluta in tussi, faucium aspe-

asperitate , tabe , thoracis affectionibus , renum ardore usurpatur. Cum in more alioqui sit, ut quâ videtur opportunum, diei horâ ea ministretur ad senas, aut, summum octonas uncias, raro uno, sæpiùs altero, (interposito tempore) tertiove haustu sumenda. Paratur autèm non solùm iis mulsis, quæ diximus, sed unà cum iis, aliis etiam seminibus, qualia fermè forent *pæoniæ*, *papaveris*, si quietem intenderemus; *portulacæ*, *plantaginis*, *viticis*, si quod isthæc posse creduntur. Sic porrò, ut *singuli seminis denarii singulis aquæ unciis* accipiantur.

Congener huic *potio* apud quosdam in usu est, cui conficiendæ miscent, ac decoquunt *aquæ partes tres*, *unam caprini lactis*, *seu bubuli*.

Nonnumquam *Serum*, vel ipsum per sese, vel re aliquâ medicatum ad biduum triduumque dari convenit, cui intestinus ardor, dolorve est, aut alvus adstrictior.

Interdùm & convenit *Serum illud*, quod dùm lac unà cum aliquot aridæ salviæ foliis ad ignem fervet, affuso paulatìm vino austero, a coeunte masså secedit. Cumque non adeò exiguum vini modum oporteat affundi, lac

ut

ut concrescat, ideò Serum tibi paraveris (verius dixeris vinum Sero temperatum à tenuissimis suis particulis inter bulliendum solutum) utile viribus atque stomacho, nec facile febrim irritaturum, si tempus genusque ejus ritè discreveris.

Sunt qui in omni Febre potui dent *aquam* in *quâ* secta rasaque radix cognitæ nupèr plantulæ, quam *viperinam* alii, alii *Scorzuneram* appellant, *decocta* sit.

Et sane innumeræ parantur potiones è foliis, radicibus, corticibus, lignorum ramentis, variisque, prout variant morbi, rebus aquâ incoctis: quod cuique notum.

Nec vulgata minùs est, quæ fit, si *scobis è cervino cornu binas uncias, panis siligènei tantundem* in aquæ heminis quinque ad tertias decoxeris.

Verùm omnium antiquissima *Ptisana* est, quæ fit ex *hordeo*. Huic frumento tantum tributum honoris est, ut quandocunque Ptisana nominatur (quæ nullius certè potionis certum vocabulum est, parariqne aliâ ex quâcunque fruge potest) illa omninò potio privatìm significetur, quæ ex hordeo decoquitur. Quin abiit in rem vocabulum; & vetustissimi authores ipsum

ipſum Hordeum Ptiſanæ nomine paſsìm appellant, quaſi Hordeum atque Ptiſana res una ſint. Hæc ceteroquin haud operoſæ facturæ eſt.

Si receperis *hordei purgati libræ pondo*; *aquæ ſextarios quatuor*; tùm ad tertias decoxeris; additiſque prope finem radicis dulcis denariis binis colaveris, poſtquam refrixit; effecta jam *Ptiſana eſt*. Quæ diebus ſingulis, utique per æſtatem, paranda de novo erit, nequid à morâ vitii concipiat. Id quod in omni potione; imò quâcunque in re aliâ, quæ ingeritur, ſervandum eſt.

Si minùs acrem deſideres, poſtquàm modicùm ebullierit, abjectâ priori aquâ, alteram affundito, atque iterum coque ad tertias.

Si cupias, ut nutriat magis coquito ad medias. Si valentiorem adhùc velis, quæque Cremoris loco eſſe poſſit, poſtquam hordeum, ebulliendo, quàm potuit maximè, intumuit, trajicito exprimitoque per linteum.

Hìc, ſi uſquam aliàs, tradendi locus eſſet, quâ conficiantur ratione *juſſulenti ii ſucci*, qui nutrimenti veluti nucleus, vel guttatìm, vel ex cochleari tùm dantur, cùm ſubſtinendæ vires quum ſint, dari conſuetum alimentum aliquid prohibet. Atque in primis *jus illud*

lud ex vitulinâ gallinaceâque purgatis adipe, additis unguibus aut petiolis agninis, hædinisve, ſcobe potiſſimùm cervini cornu; *quod* poſt vaporatam diutinâ ebullitione aquâm, in patinam defuſum, ſuppoſitâ nive *in pellucidam quaſi glaciem coït*; quodque juream (placentam fortè reticebant) vernaculâ appellatione vocavere Majores noſtri. Verùm cum iſthæc domeſtica jam ſint, & ad Coquum magis pertineant, ad hunc relegamus; unum monentes, ſiquidem aromata, aut limonii, granative ſucci (quæ tùm promptiùs ut concreſcat, tùm ſaporis gratiâ Coqui addunt) è re Ægri minùs fuerint, Medici eſſe id providiſſe, non Coqui.

PARS

PARS II.

PRæter ea, quæ dicta hucusque sunt de alimentorum administratione, alia adhùc æquè providenda acutis in morbis *ad victus rationem* spectant. Quicquid enim præstandum Ægrotanti officii opisque est, id omne *illa* suo sibi jure vendicat. Cum reliquæ adjutrices operæ nil fermè sint aliud, quàm ascitæ in sui famulatum pedisequæ; *ipsa* verò princeps universæ curationi præsideat. Et quia *Medici conditiones*, *Conclavis delectus*, *Aeris attemperatio*, *Mundities*, *utilium Procuratio*, *Amolitio inutilium*, *Quicumque symptomatum respectus*, *Quæ*, *Qualiaque cunque extùs intùs adhibentur Præsidia atque Auxilia*, omnia prorsùs eò sequuntur, quò nutritionis lex præit, postque se trahit; ut scilicet periclitantem adversùs vim morbi substineant, atque onere, quo is premitur vel tempori levent,

vel auxiliatrici manu juvent, quoad illud deposuerit; ideò universa uno *Victus nomine*, aptissimè comprehenduntur. Hincque erat, quod antiquitùs (quo tempore rerum, vocumque simplicitas in pretio erat) in *alteros*, *qui victu*; inque *alteros*, *qui manu* curarent, divisere Medicos; prioribus à victu denominatis, qui certe non uno victu curabant. Hìc ergo præcipua quædam seligemus ex eo ministerio, quod medium est, ultrà alimenta quidèm, citrà tamèn medicamenta; quodque Acutâ Febri decumbenti perindè ac nutritionis, medicinarumque ratio debetur. Id enim si præstò sit, ambarum efficaciam mirè auget; si desit mirè minuit, aut frustratur ex toto.

Utque ordiamur à *Medico*; scire licet, admodùm difficilem obnoxiamque substinere eum personam, cui non rem familiarem, non fortunas suas, sed vitam animasque ipsas homines credunt. Disciplinas, quotquot faciunt ad medicinam, hancque ipsam, quâ latè patet, universam is probè teneat; undè prius sibi; deindè & cuicunque mortalium, si res tulerit, omnium, quæquæ fecerit, benè vel secùs cesserint, idoneam queat reddere

re rationem, & neque ſibi, neque alienæ expectationi merito unquàm ſuo dicatur ullâ in re defuiſſe. De Ægro ſuo præſens abſenſque cogitet; aſſiduuſque ac ſedulus illi ſit, ne quod boni attulerat, corrumpat incuria. Sed nec triſtem ſeveritatem, moroſitatemque præſeferat, quâ ominoſus videri poſſit; nec importunam feſtivitatem, quâ moveatque faſtidia, & ſuſpicionem injiciat, parùm tangi ſe Languentis diſcrimine. Facilè Ægrotantis fidem ſpemque excitat compoſita ad miſericordiam ſpecies, gravitaſque, atque id omne, quicquid fuerit, vel prudentiæ, vel non ineptientis hominis argumentum. Videat quoque, nè longiùs evagetur extrà rem ſuam; neu ſibi diutiùs in eo placeat, quod ſuo ſit ab officio alienum; illud ob oculos unicè habens, ad quod vocatus præcipuè eſt. Quin & de ſuis partibus non plus quàm neceſſe eſt, parcè ſcilicèt graviterque, diſſerat; tùm ut fidem operæ ſuæ faciat verecundâ ſobrietate ſermonis; tùm ut nè loquacitate fatiget Auſcultantes. Quod ſolent vana quædam ingenia in faciendâ porrò arte, à quâ ſanitatem expectant homines non facundiam: Dignari hoc nomine ſi velimus longa illa verborum tœdia nonniſi imperitorum

auribus fucum facientia, nec rarò in proferentium prolata dedecus; ſicubi nempè Artis oſtentationi, effecta Artis mòx non reſponderint. Loquendi ratio, ut vitanda inſolens, ita popularis, quæ ſit tamèn citrà barbariem, decora Medico eſt. In præſagiorum conceptu circumſpicienda accuratè omnia priùs ſunt. Nàm neque, qualis uniuſcujuſque eſt habitus, qualis & ſanguis, qualiaque concluſa intùs viſcera ſatis novimus: neque laborantis vires cum morbi viribus ad libellam componere promptum adeò eſt: neque circumfluentis aeris qui ſit hodie ſtatus, qui poſtridie futurus præ oculis eſſe poteſt: neque tot illæ cauſæ, quæ latenter vitam aut ſubſtinent aut ſubruunt apertâ in luce verſantur. Signa verò, prætèr quàm, quòd plerùmque ambigua, quandoque & fallacia ſunt, prò variis etiam cauſarum naturarumque conditionibus varië & ipſa ſeſe habere haud planè ab ratione eſt. Quapropter peritiores Artifices non tàm ſibi à temeritate, quàm à prudentiâ laudem præſtituunt: dubiique de eventu, taciti intentique ad Ægrum reſpectant, ut ne quid fugiat, omittaturque, quod illius è re, ſuarumque partium eſſe videatur: tùm demùm victum jam mor-

morbum, aut victorem pronunciaturi, quum id ipſum ſatis exploratum proviſumque ſibi eſſe cognoverint: caventes eâ ratione, ne ſeſe artemque ſuam ultrò objiciant ludibrio vulgi. Nec imitandi putidi illi Medici, qui ad inſtar obſcænarum Avium funeſta ſemper præſagiunt: eo porrò aucupio, ut ſi Æger perierit, à Præſagio; ſi evaſerit, a Curatione ſibi famam in tuto collocent. Ut neque, contrà, lepidi illi qui omnia læta promittunt ſempèr; ſeu plus juſto arte freti; ſeu quò gratiùs accipiantur; ſeu quia proniores in ſpem, quæ boni ſperant, pollicentur. Cum utrique in oſtentatione ſcientiæ, neſcioquid artificii, imprudentiæque ſubmiſceant; certè ſempèr inſcitiam. Verbo ut expediam; peritia & veritas, non arrogantia, non temeritas, non improbitas afferendæ in Artem ſunt. Medicina enim non Medicorum, ſed Ægrotantium gratiâ reperta eſt. Quìn & temperare ſumptibus oportet Medicum; ne ſi plus imponat ſibi oneris, quàm vires cenſuſque patiuntur, facere deindè neceſſe habeat quod ſibi artique ſit indecorum; hùc illùc nimirùm curſitans, turpiter ambiendo, undè plures ſibi conquirat Ægros, quàm curari ab uno homine poſſint; quo nihil miſeris,

qui

qui hujus fidei se credunt, potest accidere calamitosius. Reputet, igitùr, qui Medicinam ingreditur Tyro, nec Ædium amplitudinem, nitoremque; nec prætiosam supellectilem, splendidasque vestes, aut id genus aliena adjicere quicquam Scientiæ Medicæ. Satìs sibi sunt, loco illarum, frugalitas, atque munditiès; quæ propriè decent non jocularem aliquam artem profitenti, sed gravem, siquæ alia, sanctamque. Institutus, formatusque ad hunc modum Medicus, ut adit Ægrotantem, ipsâ statìm specie facit de se fidem; quod necessarium antè omnia Curanti est.

Assideat igitùr contra eum, admissà luce quàm licet plurimâ. Aliquid proloquatur amicè comiterque, undè residant animi, se seque recolligant. Hæc intèr, tanquàm aliud agens, cubantis faciem, colorem, habitum contempletur: oculos præsertìm, in queis plures, minimèque mendaces notæ, sive insit iis rubor, sive splendor & mobilitas, sive lacryma spontè fluens, sive vigor & claritas, sive caligo & languor, sive demissio mœrorque, sive spes & alacritas. Vocis quoque sonus, si languidus, si constans sit, aliquid & ipse instruit. Notandumque si fuerit occasio, quâ tus-

tuſſiat vi, quâve extuſſiat. At obſervanda præ aliis ſpiratio eſt; quâ non minus, quàm arteriarum pulſu, Sanguinis Cordiſque, totius nempè Summæ, ratio ſignificatur. Sitne æqualis, an contrà; frequens, an tarda; magnane, an parva; expedita, an laborioſa; continens, an abrupta & ſuſpirioſa. Lotium deindè inſpiciat, ut rarum, ut denſum ſit; qui color; quæ contenta innatent, quæ ſubſidant; numquid olidum prætèr morem. Mòx oppoſitâ ori manu, ſentiat, anne ſpiritus vaporoſus, an aridus; temperatus, an acer urenſque ſit: anne etiam graveolentia diſpliceat. In linguam ſimùl inquirat; variat enim prò ægri morbique naturâ, proque præſenti viſcerum humorumque affectione: ut modò albida, modò cœnoſa; modò humecta, modò ſicca; nùnc lævis, nunc aſpera, aut ſcabra, vel etiam nigra; nùnc tremula, nùnc motui difficilis, craſſiorque deprehendatur. Affrictu verò palmæ videat, quâ temperie, quo tactu corpus ſit: nec intereà negligat, ſi quibus inficiatur peregrino colore, vèl maculis. Contrectet ſcitè præcordia atque abdomen: nùm dolor ſubſit, vel tumor, vel diſtentio ulla. Tandèm exploret arterias utroque in brachio; diu-

diuque in eo immoretur; ut inde conjiciat, quoad fieri poterit, quî se habeat sanguis; quî, ejus vitæque fons, cordis machina; quî totum animal: in consilium simùl adhibitâ collectâ singulatìm à signis reliquis conjecturâ. Quæ visu tactuque usurpare, conjectandoque persequi nequierit, partim ab Ægro ipso, partim à Familiâ rescifcat. Numquid peculiaris molestiæ sentiat intus; nùm capite doleat; nùm alvum, & ex quo, posuit; num consueta alicundè purgamenta substiterint; nùmquæ subest minùs evidens morbi causa? Venter contumax, an facilis: parca, an fluxa urina: adstricta cutis, an laxa priùs forent? Quonam vitæ genere; quibus exerceretur fortunæ vicibus; quibus uteretur alimentis? Quo habitu, firmo, an imbecillo: quâ valetudine, constanti, an variâ: quo animo, erecto, an demisso: quo ingenio, pacato tardoque, an vehementi acrique à naturâ sit? Anne aliàs ægrotarit; & quali morbo: gravi, an levi; brevi, an solutu difficili? Quâ ille vià tùm finitus: an prorumpente è naribus vel aliundè sanguine; an manante sudore; an fluente urinâ, an liquatâ alvo? Hæc intèr, nequid mutiat; neque ore, supercilio, gestu aliquo objectet

jectet terricula. Quod quidam vel ex malâ consuetudine, vel in ostentationem penitioris artis ineptè faciunt. Jacentes enim languentium animos spe sanitatis erigere pars medicinæ; metu ultrà percellere ac premere pars morbi est. Alienumque aliàs improbumque est, à quo levamen speramus, intendi malum. Etiamsi & suus potest injiciendo terrori locus aliquando esse: Ubi nimirùm effrænis ventris fluor, aut sanguinis ex parte aliquâ profusio sisti aliâ nequierit ratione. Providum tùm dignumque non plebejo Medico consilium fuerit, subito aliquo laborantem consternare periculo; ex quo veluti perculsi humores aliam protinùs induat conditionem. De reliquo afferenda confidentia potiùs, gravisque hilaritas ad Ægrum est. Quod si vitæ illius ex idoneis notis timeat Medicus, nequâ id turbatione palàm ostendat; sed clàm eo, seorsùm evocatis Familiaribus, quod sibi de illo videtur, aperiat: undè curam in se recipiant id monendi, quod, is tempestivè ut intelligat, necessum est; nè imparatus vel non consulat rebus suis; vel decedat, occupante morte, Sacris Ritibus inexpiatus. Cui rei debet Medicus, præ reliquis omnibus advigilare; nequid sibi

ac-

accidat, quod malè posteà defendat: Cùm videlicèt, eventus ipsius pudor atque calamitas frigidam efficiet, qualemcumque afferat, excusationem.

Conjecturis, notisque omnibus sædulò collatis comperit Ægrotantem, qui coràm est, *Acutâ Febri* teneri. Instituenda igitùr curatio congrua rei est: ut tamèn dispiciat prius; nùm febris princeps morbus sit; nùm alterius morbi comes effectusque; nè temerè festinando, cum alieno discrimine, suoque non sine dedecore malè quid auspicetur. Ubi id providit; satisque constitit, & morbum principem, & continentem esse eam; tùm victum statuat, sive tenuissimum, sive medium (uterque convenit, primà saltèm die) tenui deinceps nutriturus. Cautò verò opus est, in instituendis principio atque ordine curationis. Etenim, etsi quolibet morbi tempore potest error exitio esse; vitandus maximè omnium per initia est; ita dejectæ à proposito Naturæ rationes per id tempus conturbat omnes. Medicus autèm, quùm excitum prætèr opinionem tumultum, enormiaque hâc illâc erumpentia symptomata aut non intelligat, aut serò intelligat, tutari sese sub malignitatis effugio necesse habet. At-

que

que hinc, opinor, ortum referunt, *tot Malignæ Febres*, quot inſcio rerum medicarum Populo paſſim obtruduntur. Quæ ſpectra multò rariùs objectarentur, ſi rariùs erraremus Medici.

Poſt inſtitutum à probè formato Medico victum, quæritur *de Conclavi, in quo Æger habendus eſt*; cum illius opportunitas referat plurimùm. Tametſi non profectò omnibus ejus eligendi poteſtas eſt. Habitatur enim, ut domus cuique, & fortunæ ſunt. Attamèn, optio ſi detur, eligendum *ſpatioſum*, *altum*, *lucidum*, *nulli gravi obnoxium vento*. *Anguſto*, *humili*que concluſus aer putrorem contrahit putoremque ſtagnando; jugique ac diutinâ cubantis reſpiratione effœtus fit atque inutilis. *Tenebræ* (tametſi vires congregant vel certè non diſſipant) triſtes, terrificæ, deſpondendo animo ſunt: multa prætereà Adminiſtris Medicoque occultant, quorum præteritio poteſt exitio Ægrotanti eſſe; ideoque is (niſi imbecillitas contrà ſuadeat) in luce continendus interdiù eſt. Quicquid autèm *gravioris halitus* aſpiratur *ab impuris locis* morbum nutrit novam continuamque ei cauſam ſufficiendo. Aer igitur, quo præcipuè conficitur alimentum,

quo alimenti ſuccus in ſanguinem pellitur, quo ſanguis circumagitur, quo nutritio digeritur, quo vis ac robur, quo motus omnis, quo ſanitas, quo vita magnâ ex parte conſervatur in corpore, purus ſit, quoad fieri poterit, aptèque temperatus, non calore non nimio frigore nocuus, vel, ſiquâ ſeſe inclinet magis, frigidulus præfertor; Nàm ſemel diximus, ſuopte calore ſatis calere Febricitantem. Unde & Conclavis feneſtræ (ſi per Cæli temperiem liceat, primo mane; ſin minùs quandocumque ſinat opportunior hora) utilitèr reſerantur; donèc excluſo, qui per noctem ſtagnaverat intùs, recentior puriorque ſuccedat. Nec ludunt prorſùs operam, arbitramur, qui (per ferventia præſertim æſtatis tempora) afflant vapore aceti cubiculum, quique pampinis frigidâ irroratis, lactuciſque ſubſternunt, intermixtis (ſi vires langueant) lauri, citri, myrtique foliis, tùm thymo, ſerpillo, aliiſque; ſiquæ halitu roborare caput cenſentur; aut quì per hyemem, quod cogunt frigora, ſuffitu reſolvunt, cujus nidore imbutus circumfuſus aer tepet, vernatque. Quâ in re tamèn ſervandum temperamentum eſt, ne quem tueri contendimus ab altero diſcrimine, in oppoſitum protrudamus.

Qua-

Quapropter arcenda quidem frigoris, non accersenda autem officii importunitate nocumenta incalescentiæ sunt. Videndum præterea, qui suffitus Ægro conveniat; qui huic Ministrantibus. Sunt enim tum Viri, tum passim Fœminæ, qui odores ferre non possunt: neque ut uni prosimus, noceri alteri humanum est: cum aliàs Languenti non magis usus Medicinà sit, quàm idoneis Cubiculariis; quibus ceteroqui non minima curationis pars, neque immeritis, tribuenda. Gravia hæc inter suffimenta sunt, ex ardentibus Lucernis, Candelisve tum sepatiis cum etiam cereis. Multò graviora, quæ ab earundem extinctarum fumo. Idcircò accuratè vitanda; nec diutius propè cubantem circumferenda; noctu verò eo ableganda, undè Conclave nec remaneat illuminum, nec halitu inficiatur. Omnium gravissimum, quin, & mortiferum, cavendumque cum primis, Carbonum Virus.

Restat jam, ut quæramus, quam versus mundi plagam spectare debeant Conclavis Fenestræ. Secessere suas quæque in partes Sapientum placita. Plures, iique gravissimi Authores, debere ad Orientalem contendunt. Quoniam verò & locorum conditiones, & anni

ni tempus æstimari eâ in re oportet potissimùm; cum vel saluberrimus aspectus Solo, quod ex adverso adjacet, possit penitùs vitiari; cumque tempestatum varietate variari; nihil proptereà certum perpetuumque statui de eo posse censemus. Generatim tamèn afflatus quicunque insalubres avertendi à febricitante sunt, item qui vel frigore, vel maximè calore lædunt. Quâproptèr, siquid intereà jubemur decernere, ad Septentriones æstivo; hyberno ad Meridiem; ad occasum verno; autunnali tempore ad ortum solis fenestræ sunt eligendæ; ubi eligi potestas sit: tametsi priùs ad ætatem habitumque Ægrotantis suus habendus respectus est.

Sed neque negligenda *Munditia*. Nàm si vel sanum Corpus sorde situque corrumpitur, quidni idem contingat infirmo? Quamobrem habenda in munditie sunt Cubile, Cubiculum, tùm præcipuè Corpus ipsum cubantis. Solet enim morbus, præter alias multimodas calamitates, fæditatem omne genus squaloremque superinducere. Munda igitùr Lintea, munda Stragula, Solum mundum, munda circumquâque Supellex, munda omnia sunto: neu quid mucidum, olidumque vel intùs conclu-

dito,

dito, vel penetrare ſe alicundè intrò permittito.

Deliberandum quoque, an ne ſit Æger in *Luce*, an in *Tenebris* continendus; id quod ſuperius attigimus. Antiqui, ſiquidem vires ſuppeterent, digerendumque corpus foret, utique ſi mœrore, aut terroribus conflictaretur, in luce habebant: Imbecillum, & cui ſenſuum quiete mentiſque opus eſſet, continebant in tenebris.

Sed & vetuſtiſſima obſervatio eſt; imò præceptum, ne Febrientem *veſtibus ſtraguliſque* præſocemus; ſupraque febriles, alios aliundè congeramus ardores. Cum præter ſuperadditam moleſtiam, timeri quoque indè poſſint, aut bullientium præter modum humorum confuſio ſubverſioque, aut cujuſpiam viſceris inflammatio. Quod omni porrò tempeſtate temperandum eſt; præcipuè tamen æſtivâ; per quam levibus veſtimentis velandus tantùm ille eſt; ſic, ut non alio torreatur æſtu quàm Febris.

Neque hæc inter ommittenda quædam in levamen ſymptomatum *externa officia*; quæ ſint, ut ſuperiora, ritè miniſtrati victus quoddam quaſi famulitium. Si, igitur, Febricitans capite doleat, id ad cutem tondere, deinde manu

manu ſrigidulâ leniter perfricare; ſpiſſo pectine ſcalpere; anethum quoque, ſerpillumque, & alia ejuſmodi olfacere utile eſt. Si infeſtat vigilia, aquæ frigidæ ſub veſperam potus largiuſculus; lenis per ſummam carnem & lenta frictio; aquarum juxta cadentium murmur; lactucæ folia pulvino ſubdita, atque alia ejuſmodi ſomnum conciliant. Linguam aridam, molliri primùm oportet aquâ calidâ, deindè ungi roſaceo: Si etiam ſcabra ſit; mollitam, ligneo vel eboreo ſcalpello deradi, poſt ungi melle & roſaceo unà mixtis. Nè in idem recidat; aut aceto, aut granatorum aut limonii ſucco illini aut omphacio. Si anhelus nimio æſtu fuerit, ventulum flabello facito; vel reſerato alicunde Conclavi, modò ut per tempus liceat, multum & purum aerem trahere ſinito. Si ſpiritus gravitas eſt, cubari ſublimi capite præcipito. Si tandem (ut ne per ſingula diſcurramus) ingruente febris judicio cœperit hinc indè madeſcere, continendus totus ſub ſtragulis eſt; quò ſudor per omnia æquè membra prorumpat: Sudantem tepefacto linteo, ſub veſte detergito; nec tamèn ab opere deturbato.

Et hæc fermè ſunt media illa, atque his ſimi-

ſimilia, ſiquæ ſunt alia, quæ hujus alterius *Partis* eſſe cenſuimus. Etenim verum quùm ſit, tempeſtivo idoneoque victu ſubſtineri periclitantem, febrimque per illum digeri, ac reſidere paulatìm; morboſque longè plurimos illo uno legitimè diſtributo poſſe ſubjugari (undè manifeſtò pateat, *Medicum agere & Victu curare idem eſſe*) fruſtrà tamèn ipſe ille erit, niſi peritus, prudens, probuſque Medicus aſſidat hæreatque perpetuò; qui exhibita alimenta manu veluti ducat, jugique diligentiâ ac ſedulitate faciat, cum iis & reliqua conſentire; aerem attemperet, munditiam paret, conferat quæ utilia ſunt, amoveat quæ inutilia, vel, ſi poſſit minus, vertat in melius; quâ operâ demùm fiat, ut dimotis offendiculis rectè adminiſtrato Victui pronior via ad propoſitum terminum expediatur.

PARS III.

Q Uùm Medici partes ſint, ut addat quæ deſunt, demat quæ ſuperant, quæ verò noxia ſunt, vel prævertat, vel corrigat, vel eradicet; id omne non rarò conſequi eum poſſe inſtituto tantùm, quem res poſtulat, victu, & rationes haud ità abditæ perſuadent, & conſentiens paſsìm experientia. Quoniàm tamèn fit ſæpenumerò, quòd alimenti ratio, quantùmvis conſummatâ arte diſtributa, impar ſit morbo morbique cauſis; ſæpè etiàm effectus tardioris, quàm ut ei fidendum nudè ſit, ſicubi nimirùm metuimus à tarditate periculum, hìnc eſt, quòd ſupplementa quædam ſui habet, quæ ſibi ſubſerviant, quùm intereà ipſa primas agat. Et re quidèm verâ tot radices, cortices, ligna; tot plantarum ſemina, folia, flores, fructus, ſucci; tot ſeu nativi, ſeu parati arte tùm pulveres, tùm liquores, quid aliud eſſe dicantur, quàm quæſita *ad victus*

ra-

rationem additamenta; quorum plura alimenta ipſa ſunt, licèt aliquot uſu minùs recepta; plura cum cibo potuve aptè aſſumuntur; ſeorſum verò quæ dantur, nullas in ventriculo turbas excitant? Sanguinis autem miſſio, vomitio, alvi ductio, ſudoris urinæ provocatio, frictio ipſa, quid aliud, re bene perſpectâ, ſibi volunt, præter ipſiſſimum, quod victus tenuis, vel tenuiſſimus; cui has ipſas utpote præſentioris operæ, quantumlibet non perindè certæ tutæque, ſatis tamèn ſapientèr ſufficimus, quod ingruit à morâ, exitium intercepturi? *Priora* quidem majoris comperta efficaciæ quàm alimenta communia, vel corrigunt immutantque, vel ab utilibus extricant ſecernuntque nocentia. *Poſtrema* demunt ſupervacua, quod ipſum efficeret, ſed paulatìm, abſtinentia: verùm, quòd huic diu durare nequeat Æger, illa in ſubſidium accerſuntur, undè res promptius perque tempus expediatur.

Ideò complectemur *hâc tertiâ Parte*, quæ Victui famulantur præſidia; quæque *Medicamentorum*, cujuſcumque generis ea fuerint, ſpecialiori nomine deſignantur. Non quidem univerſa, in immenſum enim opus id excreſceret; ſed plura eorum quæ adhibentur in

 auxi-

auxilium *Acutæ Febris*; quam ab initio privatìm ſuſcepimus in exemplum. Cetera, & quæcunque ad ea pertinent, ſibi aliundè quærant Tyrones, omni abhibito eâ in re conamine atque dilectu. Turpe namque eſt, non in manibus habere Artificem inſtrumenta Artis, & quidèm multimoda; opemque publicitùs profeſſum accedere deindè inopem, & quaſi deriſorem ad indigentem. Non temere porrò ingerenda remedia ſunt: ſed neque profitenti Medicinam carendum iis eſt; neque ignorandum quæ, qualia, quando, quoque modo, quâque de causâ imperanda illa ſunt; ut ne olim opus habeat, apud jam aliquid ſubolentem Vulgum, imperitiam deſidiamque ſuam tueri haud ſatis idoneis rationibus; quibus ceteroqui nunquam ſibimetipſi erit ſe probaturus, nunquam neſcio falli Deo. Equidem, eſſe Medicinam nemo ſanus inficiabitur, quam verè eſſe, aſſerunt curationes. At, ajunt, *ea penitùs in obſcuro eſt; quæque circunfertur, incertitudinis, fallaciæ quin & diſcriminis plena eſt*. Sedenim ex hoc circumferentium ignavia ſignificatur: Dei optimi maximi munificentia nullatenùs minuitur. Non ſibi Medicinam ipſe fecit, cui ejus nullus uſus. Credi

di verò nudum ac re vacuum nomen in ægritudinum levamen nobis ab eo propoſitum (in quod fermè recideret, ſi ultrà hominum captum, noſtraſque vires ſtatuiſſet medicinam) impium, ut quod maximè, foret, atque à ſummâ ejus bonitate prorſus alienum. In divino hocce dono ineſt profectò quod prudentum uſui ſatis eſt: deeſt quod impleat opinionem inſipientium. Rerum autèm Sator, illud antè omnium oculos; certè inventu non difficillimum, ubique locorum ſevit. Sed nos quærimus per avia, & arenas Lybiæ; quoque magis quærimus, eò longiùs deerramus. Interdùm etiam nec quærimus; ſed modò deterremur deſperatione reperiendi; modò improbitate laboris. Quùm aliàs non deſidiæ præmium id ſit; verùm diligentiæ, ſedulitatis, intentæ operæ, omnigenæ demùm induſtriæ.

Intereà, quod modò noſtrum eſt, uſitatiora Continenti in Febri Remedia, ſuo quæque ordine expediemus. Itaque, cum principem in curatione locum occupent Alimenta; horum tùm copia, tùm virtus conferendæ aptè ſunt cum morbi genio, cumque Ægrotante ipſo: ſtabiliendaque ante omnia victus ratio erit, ferè quam ſuprà poſuimus, aut certè non multò

multò alia. Ea victu humido ac refrigerante continetur, qualem Medicorum fermè omnium consensus attribuit Febricitanti. Sunt tamèn quorum stomachus ab humidis, frigidisque malè habeat: iis victus sic temperandus, ut stomacho, febrique sit æquè accommodus. Æstimanda quoque sunt anni tempora, loca, ætates, habitus, consuetudines, atque indè nutriendi mensura modusque conjicietur. Tametsi rarum admodùm fuerit, ubi Juscula, Sorbitionesque ceteraque illa, quorum tradita sunt Specimina, non habere locum, aut non aptari ex facili possint. Humectant illa refrigerantque per sese. Si nihilominùs magis humectare etiamdum velis, efficito dilutiora. Si magis refrigerare; quâ aquâ paranda Sorbitio fuerit, refrigerans olus antè decoquito, ut intybum qualecunque, vel aquatilem anagallidem: In jusculis, ceterisque id idem facito. Si contrà, humectandum minus erit, facito de sorbitione pulticulam: Jusculum fressis avenâ vel hordeo paulùm spissato. Refrigerare plus justo metuis? fac Sorbitionem ex orizâ vel farre: aut jure illam incoquito; aut momento cinnamomi temperato.

Hìc verò statìm ab initio dispiciendum

pro-

providè eſt, anne ſola Victus inſtitutio, leviuſculis quibuſdam remediis ſibi aſcitis, ſatis vincendæ febri futura ſit; anne quidpiam majus ſit moliendum; ut *detrahi ſanguinem*, vel *vomere*, vel *dejicere alvum* oporteat. Quidquid horum faciendum videatur; certè in principio conſultiùs fit; quandò & vires nondùm ſpatio attritæ faciliùs rem ferunt, & ſublatâ imminutâque ſive plenitudine, ſive morbidâ materiâ habilior expeditiorque Natura remanet ſubigendis amoliendiſque tandèm, ſua quibuſque per ſecernicula, reſiduis febris cauſis, ad integram uſque judicationem.

Quod in febri *mitti ſanguinem* præcipuè petit, *plenitudo* eſt: adeoque eâ causâ in omni Febre mittendus foret. Nàm etſi qui ſanguis movetur in ſano non facit plenitudinem, qui ebullit in febricitante utique facit; niſi copiâ, quæ eadem eſt, atque anteà, certè fervore ſuique explicatione, quâ capaciorem affectat locum. Id manifeſtò demonſtrat, ſibi ſi relinquitur, Febris ipſa; quæ nonniſi profuſis, modò ſanguine, modò, qui à ſanguine derivantur, humoribus, benè, vel malè judicatur. Verùm, quoniàm hujuſcemodi curationis ratio contraria, ſiquæ alia, naturæ vitæque viſa

visa hominibus est, videri ut debuit, usu parta sedulâque observatione Medicorum moderatio sanguini, quoad potuit, pepercit; censuitque non in qualicunque Continuâ Acutâque Febri id remedium esse necessarium; sed in eâ specialius, quæ verè cum plenitudine incidit; ne videlicèt suâmet mole obrutus sanguis in aliquo intùs viscere subsidat, quarè inflammatio subsequatur, aut gravius aliquod malum: atque in eà itèm, quæ prætèr modum si ferveat, vehementiori rapidiorique motu fertur, quàm ut morbificæ materiæ effræni eâ vi abreptæ sperari aliundè secretio possit, quìn prius tota machina pessumdetur. In aliâ quâlibet Febri, quæ licèt Acuta nec similia corripuit corpora, nec paribus excitatur causis, quocircà leniùs æquabiliusque movetur, a sanguine temperavit; comperto, talem aliâ quoque planiori viâ, & solâ interdum victus dispensatione satis commodè curari posse. Temperavit paritèr frigidissimis, calidissimisque sub Cœlo vel tempestate: illìc nimiùm prono sanguine ultrà lentescere, hîc vappescere nimiùm facili. Nec ignoramus, quod ajunt Medicorum nonnulli, *huic, illique febri, hâc illâve in regione, ex iis quoque, quæ temperatæ maxime sunt,*

no-

noxiam deprehendi ſanguinis miſſionem. Quorum nos authoritati ultrò aſſentimur; ſi modò conſentiat noſtri priſcique temporis authoritas. Sed res nobis cum Tyronibus privatim eſt. Quìn & ſcimus, quoſdam alios, *procùl rejicere deteſtarique iſthoc auxilium*, *ut inſcitiæ turpe ſuffugium*, *perque ſummam plebejorum Medicorum audaciam in humani generis perniciem excogitatum*. Quouſque tamen arcana illa neſcio quæ ſua remedia, quæ huïc ſubrogemus, contrà omnem humanitatem ceteris mortalibus invident, nos ſanguinem, ubi uſus videbitur, detrahemus; quod fermè, & docente ſæpeſæpius Naturâ, & defectu melioris conſilii, nec tamèn ſine Artis laude, per tot retrò ſœcula factum eſt.

Quamobrem ſi vehemens febris ſit, facies verò rubeat, tumeant venæ; ſi conſueta ſanguinis alicundè eruptio pridem reſtiterit; habitior autèm, nec tamèn obeſus Æger fuerit, idemque florenti ætate, liberalius nutritus, acribuſque & calfacientibus potu ciboque accenſus; adſintque alia ejuſmodi plenitudinis, incendiique argumenta, vel ex iis præcipua, niſi ſiquid aliud magnum intercedat, ne morator ſanguinem mittere.

Grave quoddam intereà loci præceptum circumfertur *non esse mittendum sanguinem in ipso febris impetu, ne quem curare intendimus, jugulemus: Quarè boni Medici esse tempus captare mittendi sanguinis, illud porrò, dum se aut remittit declinatve febris, aut saltem* (siquidem remitti non eam speret) *dum desiit crescere*. Cui, equidem arbitror, in Continente Febri locus non est. Aliàs enim mitti non posset, nisi serò admodum: Quod foret contrà communem artis disciplinam moremque; neque certè Ægotanti utile, cui protinùs ab initio succurrendum est, si hoc ei auxilio succurri debeat. Præceptum verò eò ablegandum, quò spectat; ad Febrem videlicèt, quæ suas accessiones decessionesque habet; aut saltèm per circuitus, cum remissione aliquâ exacerbatur; cui peculiariùs videtur congruere. Ceterùm, si primâ, alterâve, vel tertiâ die ad statum devenerit febris, de quâ agimus, nemini dubium est (si cunctationem res patitur) tùnc optimam ostentari mittendo sanguini occasionem; quoque magis ad quietem accedunt tempora, eò esse remediis, utique magnis, opportunissima.

Sed, quoniam quod optimum factu esset,

ſet, non ſemper liberum eſt facere, faciemus quod quiſque poteſt facillimè; ut nimirùm præſit Medicus, dùm mittitur ſanguis. Intereſt enim vividè ne ſaliat, an languidè: fuſcus ne ſit, an pellucidus; numne ejus minùs educatur, quam ſatis eſt; nùmne plus, quàm oporteat? Quæ qui abſit nec videre poterit, nec providere: ut ſiquid inde evenerit mali tribuendum magno ſuo merito abſenti ſit. Debet præterea & antequam mittitur, & dùm mittitur, & poſtquam miſſus fuerit ſanguis explorare Medicus arterias; ut ſi fortè ex iis conjiciat, undè quidpiam novæ in rem ſuam lucis affulgeat. Si vix ictâ venâ contingat, quod interdum ſolet, ut animâ aliquis deficiat, comprimendum vulnus eſt, quoad ſe ille recolligat, id quod exiguâ morâ & hauſtu aquæ ſæpè obtinetur. Miſſum jam ſanguinem (etſi parum ſenſu dignoſcimus) accuratè tamen diſpici, & dum adhùc fluitat, & ubi concrevit, ex arte eſt. Nàm color, mollitia, tenacitas nonnihil ſunt; maximè verò omnium Seri proportio. Quod, ſi ſuperat, abſumendum apto victu, medicamentiſque eſt; ſi deeſt, augendum victus genere, temperandumque à ſiccantibus medicamentis; ab æquâ

illius proportione, benè ſperandum, cùm æquabili circuitu circumagi per corpus ſanguinem indicio ſit; à quo omne argumentum ſanitatis. Fit nonnùmquam (etſi rariùs in acutâ continuâ ſimplici) poſtquàm refrixit in vaſculo ſanguis, ut in ſummâ hujus coacti ſuperficie quædam veluti cruſta duriuſcula, diſſectuque contumax, modò albo, modò ſublivido colore concreſcat. Hìnc illam puto conglutinari, quòd pars alba villoſaque ſanguinis, ſive externâ ſive ingenitâ intùs cauſâ à reliquâ compagine ſeparata, ſeu quomodolibet ſic diſpoſita, vel ſuâmet levitate, vel idoneam figuram nacta ſupernatet; villiſque quaquaversùm ſtratis implicitiſque in id genus callum & quaſi pelliculam coaleſcat: ut fermè in diverſi generis, diverſæque texturæ liquoribus fieri paſſim videre eſt. Id ſiquandò incidit, ſanguinem (conſultis priùs viribus, interjectoque ſpatio) iterùm atque iterùm detrahes, quoàd fluctuantem materiam exhauſeris. Aliàs enim, ubicumque in gracillimos, ideoque innumeros canaliculos venæ arteriæque diſpeſcuntur, ut tomentoſa ea, & plicari convolvique in grumulos apta eſt, illìc preſſa hærebit; & vel cerebri membranas cerebrum-

brumque ipſum, vel fauces, vel pulmonem, vel jecur (prout horum quodque opportunius malo fuerit) tumore, & quam vulgò vocamus, inflammatione obſidebit; quod novum objiciet Ægro, medentique negotium.

Quantum ſanguinis detrahendum ſit (ubi inſueta iſthæc non intercedunt) vota porrò Medici, Ægrique vires definiunt. Antiqui vehementiſſimâ in febri ſanguinem mittebant ad animi defectum. Traduntque eâ curatione plurimos, ſolutâ alvo, atque erumpente ſudore, ſanitati ſubitò reſtitutos. Refrigerari enìm illicò corporis habitum, unoque veluti ictu confodi febrem. Fere id ipſum iidem volebant, quùm mitti ſanguinem imperabant, donèc qui craſſus nigerque anteà fluxerat, mutato colore, ruberet & pelluceret. Quod profectò nonniſi in largâ profuſione poteſt contingere; per quam nimirùm depletâ ſuo ſanguine magnâ ex parte venâ, ejus, qui ponè ſequitur ab extremis arteriarum radicibus accelerari fluxum neceſſe eſt, quo profuſi locum occupante, alius quoque ſalientis ultimò ſanguinis color habituſque videri debet. Nos horremus eam Medicinam, quæ tàm propè abeſt à cæde, quâque niſi ſanaveris, liquidò occidiſti.

disti. Sicubi verò ultrà mediocritatem mittendus sanguis fuerit, per vices mittimus; ut ne desit effectui consilium: errori utilis poenitentia. Eâque in re, satis cavisse arbitramur, si alteram ab alterâ missionem idoneo sejungimus intervallo: Undè, nec nimià proximitate continuæ quasi sint, consequaturque id idem, quod vitasse fuit animus; nec nimiâ distantiâ, nimiæque interjectu moræ intercisо disjunctoque remedio, sanguinem viresque prodigamus; quod intenderamus, non assequamur: ubi præsertìm avertere aut derivare materiam, ubique refrigerare fuerat consilium.

Cùmque sint, qui vel assuetudine vel naturâ perbellè hâc Medicinâ curantur; sintque contrà, quorum corpora hâc eâdem facilè resolvuntur; hos parciùs, liberaliùs illos curabimus. Pueri, Senesque (quibus etiam, ubi res poscat mitti sanguinem consuetudo obtinet) minùs porrò ferunt curationem hanc. Quamobrem, quamtumvis firmitatis roborisque præseferant, ætates probè considerandæ, nec nisi cautè curandi ii sunt. Communior hominum conditio, si semèl mittitur, ad denas, bissenasve; si semèl, atque iterùm ad octonas; si tèr quatèrque, ad quinas uncias mitti

mitti ſanguinem ferre ſat facilè ſolet. Robuſtiores, plenioreſque ſecuriùs quidèm curamus. Attamèn id intereà meminerimus, varios cujuſque habitus, unumquemque privatim, eſſe Medico internoſcendos: nullâque re aliâ magis opus eſſe adversùs morborum vim, quam conſtantiâ virium. Remedia verò ita eſſe adhibenda, ut illas ne prodigant, ſed reſervent.

Eſt autem, ubi morbi ſanguiniſque ſtatus id auxilii genus deſideret, rejiciant autèm cruditas, aut imbecillitas: quæ duo potiſſimùm illud averſantur. Interdùm mòx à ſumpto cibo ardenti febre quis corripitur. Tùm præſtat otiari per eam diem, quoàd concoxerit; ne crudum, nec abſque noxæ metu curemus: tempeſtivè enim ſecundo etiam, tertioque die ſanguis mittitur; morbi ratio ſi patitur. Quòd ſi majus à morâ malum timetur, continuò atquè ipsâ in cruditate mittendus erit; nàm debet Medicus eò ſe uſque convertere, undè præſentius graviuſque ingruit periculum. Interdùm quoque ità languidas jacenteſque Ægri vires deprehendas (quod arteriæ ac reſpiratio præcipuè tibi connotabunt) ut nè vel cogitandum de mittendo ſanguine videa-

deatur. Si verè, & funditùs eæ languent (quæcunque demùm languoris causa fuerit) omninò abstinebis: loco verò mittendi sanguinis tuum erit exquirere quod rei præsenti convenire maximè conjectabis. Si onere potiùs premantur obscurenturque (quod ferè solet per morbi initia) audactèr, modò res postulet, sanguinem detrahe. Etenim hoc imminuto illas non imminues, sed extricabis excitabisque; quandòque eum in modum, ut iterùm mittere, apto interposito spatio, & quousque fueris tui voti compos, opus sis habiturus. Vires opprimit plenitudo ipsa, quique hanc consequitur lentor, atque canaliculorum obstructio: Exsolvunt, inedia, immodica quælibet exinanitio, longa vigilia, morbi tum vehementia, tùm diuturnitas, aliæque ejusmodi evidentes causæ; item & maligni (sic enim vocant) afflatus, rerumque venenosarum vel halitus, vel contagium.

Si moderatè langueant vires, sed langueant tamèn, & expediat etiamnùm sanguinem detrahi, tantùm paulatìm & per intercapedines detrahes, quanto satis proposito facias, nec præcipites superstites qualesquales erunt.

Diximus opportunissimum mittendo sanguini

guini tempus exhibere febris initium; quod abundè convenit intèr Medicos: rationemque attulimus, quarè nonnumquàm vèl primo ipso die mitti expedit; tametsi, fieri si liceat, consultius ad secundum tertiumque id differtur; nè fortè, re nondùm satìs provisâ, præripiat temeritas consilii locum. Nunquàm verò post diem quartum detractionem sanguinis esse utilem, docet gravium Virorum authoritas. Quod tamèn interpretatione, opinor, opus habet. Nàm, si detrahi à principio sanguis cum debuerit, aliquâ de causâ fuit omissum, etiam diebus quarto posterioribus detrahi utilitèr, nisi alia quàm dilationis causa prohibeat, potior observatio, atque ipse usus ostendit. Si autèm detractio non fuit omissa, & tamèn de alterâ post diem quartum iterandâ ambigatur, sua authoritati firmitas esto; modò de eâ detractione sit intellectus, quæ Majoribus nostris in more fuisse dicta superius est (nàm post illam, qui esse locus alteri poterat?) non verò de parcâ & paulatinâ, quam nos, ut sub initio, sic & deinceps multò magis ad Ægri vires accommodamus. Hincque erit, ut, si seriùs accesserit ad Ægrum Medicus, cui nihil sanguinis detractum anteà

fuerit, maneatque etiamnùm detrahendi ratio; ſique parum in principio detraxerit, aut, ſatis ſi detraxit, aliquis poſtea ipſius Medici, Miniſtrantium, Ægrotantis error adhùcdùm detrahi ſuadeat; ſique capitis, vel quilibet alius, vehemens dolor, intercedenſque morbus, detractionem ſibi ſpeciatìm intereà deſideret, liceat prorsùs, utùt aliquantò circumſpectiùs quàm per initia, etiam poſt diem quartum, & quandocunque ferat neceſſitas, ſanguinem mittere; modò ad vires, futurumque, ſi quod inſtet, febris judicium, qui par eſt, reſpectus habeatur.

Cùm autèm injecerimus mentionem de *dolore Capitis*, atque *id genus affectibus*, qui conſequi comitarique ſolent, quoddam veluti ſatellitium, principem morbum; ex iiſque nonnullos, peculiarem ſanguinis miſſionem ſibi vendicare; horummet curationem paulò explicatiùs tradendam duximus. Nàm quædam in eâ ſervandæ cautiones, ut materiam à laborante parte nùnc *revellamus*, nùnc *derivemus*; quæ levando univerſo corpori haud eſſent neceſſariæ. Diſtinguenda igitur tempora hìc quoque ſunt; etenìm, ſi *aliquis ex illis*, cui miſſus ſanguis curatio eſt, ſimùl

cum

cum febre à principio affligat, hunc simùl cum ipsâ febre unâ eâdemque Medicinâ curabimus: sic profectò, ut servatâ, Priorum exemplo, *distantiæ* ac *rectitudinis* regulâ, priùs revellamus avertamusque materiam, dato aliorsùm velociori motu, nè ultrà profluat in partem; deindè eam, quæ jam irrupit gravatque jam, inducto, quàm potuit proximè, rapidiori fluxu dimotam à parte ipsâ derivemus; undè misso sanguine, qui satis est, universi corporis plenitudini; ratione loci, ex quo mittitur, patienti parti prospiciamus. Si verò excitentur *illiusmodi affectus* provectâ jam febre; postquàm, vel missus ab initio non fuit sanguis, quia mitti non debuit; vel, qui debuit missus quùm fuerit, ad novam missionem labascunt vires, tùm, quidèm in angusto res est: Aut enim aliò erit confugiendum; aut, si neque id possis, experiendum miserum auxilium, in quo spei minimum, plurimum discriminis metusque est. Quamvis, quæ curat sanguis missus, rariùs incidunt in corpore, undè is mitti non liceat; eoque minùs si artis prudens Medicus interveniat, si ab initio adfuit, si nec defuit suis partibus. Quod si vires non eatenùs afflictæ accisæque fuerint,

 esse

esse adhucdùm poterit suus curationi locus: omissâque revulsione, supervacuâ planè ubi plenitudo non sit, continuò instituenda erit derivatio; unâque è venâ effluere sinenda magna pars ejus sanguinis, qui per binas habuisset effluere non omissâ revulsione. Esto tamèn: extenuatæ magis sint, quàm ut confertim sanguis, perque ictam scalpello venam debeat educi. Sunt *Cucurbitulæ*, per quas, incisâ cute, educatur. Sunt *hirudines*, quæ naribus, temporibus, pone aures, atque alibi appensæ, quod nos volumus, id exugunt. Quæ curationes id præstereà habent commodi, quòd, cum per sese derivent, dolore morsuque unà & revellunt; neque vires ita labefactare creduntur, ut quæ incisâ venâ fiunt: quas intèr magis quæ *in brachio*, minùs quæ *ad talos*; magìs quæ *stanti*, minùs quæ *cubanti* in lecto fit, ajunt officere. Revellitur autèm *incisis iis venis*, quæ laborantem partem rectâ respiciunt, ab eàdemque distant quàm longissime. Derivatur, *iis incisis*, quæ per quàm proximæ parti sunt.

Has distantiæ *rectitudinis*, *revulsionis*, *derivationis*que in mittendo sanguine Veterum observationes Nostratium alii ignorant prorsùs; ut

ut nugatoria & vana alii contemnunt ; plurimi vix ullam habent inter curandum earundem rationem, quippèqui ſibi perſuaſerint, haud multùm referre negligas eas, an attendas. Mirum verò eſt, quemquam hodie ſic opinari, poſtquam compertum habemus, circumagi jugi fluvio per corpus ſanguinem; undè illarum cauſas rationeſque penè oculis nùnc videmus, quarum prioribus Medicis ſoli effectus uſu innotuerant. Aliquid hæc inter addubitari de *rectitudine* liceret; hincque negari, quandocùmque revelli aut derivari opus ſit, hujus vel illius lateris venam, prout hoc vel illud latus morbus apprehendit, ullo potiori jure eſſe feriendam; quùm neque priorum, neque poſteriorum temporum perſpicacior induſtria ullas hactenus retexerit rectas vias, quæ iſtiuſmodi rectitudinis regulam tueatur. Attamen, ſi res effectu reſpondeat, acquieſcendum experimento eſt; quod contrà qualiſcunque hominum ratio frigida ſit. Et profectò, reſolvi alterum Corporis latus ſepè videmus, altero integro: Sæpè etiam urentem aliquem humorem à capite ſenſim ad cervicem, mòx ad humerum, deindè rectâ ſemper, quâ cœpit, viâ ad inferiora deſcendere: Quìn, & obſervatum

tum quandoque eſt in diſtentione nervorum, medium alternatìm hominem convelli: ſiniſtrumque diſtendi ceſſante dextero; hocque laborante, quieſcere viciſſim ſiniſtrum.

Rursùs dubitari & poterit, *liceat ne mitti ſanguinem liquidâ alvo?* Licet porrò, neque inutilitèr mittitur; ſiquidèm alvi fluor præceps effræniſque, idemque à tumultuante exundanteque ipſo ſanguine fuerit; minuendo enim revellendoque materiam æquè prodeſt: Atque id ipſum faciendum pertinaci in vomitu, & vomituritione eſt; ſi eadem interſit cauſa. Probè tamèn anteà circumſpiciat Tyro, nequid in rei conceptu decipiatur: Sciatque, ſi facto deerit eventus, indiſcretam Populi perſuaſionem undique reclamaturam.

De quo autèm vix licet dubitari, illud eſt; *quòd ſicui ſano erumpere aliquâ ex parte ſanguis conſueverat, diùque ſit, quòd reſtiterit*; indè, aut certè quàm proximè, eidem & febricitanti educi, pars artis eſt.

Quas ad *revulſionem*, quaſque ad *derivationem* incidi nominatim venas ex uſu ſit, non eſt cur ſubjiciam; quùm id ex iis, quæ generatim diximus, conjici de facili poſſit. Quapropter ſi *caput doleat*, quæ maximè diſtant, vel-

velque *Sedis* vel *Talorum venæ* erunt aperiendæ. Cum eo tamèn, ut ſi totum caput malum occupet, vel alterutra indiſcretè, vel utraque ſaphena ſit incidenda: itèm ſi occiput, ſinciputve. Si verò dextera, vel ſiniſtra capitis pars doluerit, dextera vel ſiniſtra ſaphena, ſervatâ rectitudine, aperietur. *Graviori in caſu*, in quolibet nempè vehementi contumacique Capitis labore, utique ſi obructionis lentoriſque ſuſpicio ſit, non fidendum revulſioni, ſed inſtitutâ derivatione feſtinandum auxilium eſt, *ſectâ in fronte*, vel *jugulo venâ*. Licet non tàm derivatio hæc eſt, quàm revulſio, ſed quæ derivationis vices affatim expleat; cum & perquàm proximè affectæ parti fiat; perque ductus, quorum cum interioribus, quibus ſuccurrimus, proxima & communis origo eſt. Atque *utinam eſſet iſthæc ſanguinis à jugularibus miſſio multò, quàm eſt, familiarior! Anginæ* revulſio inſtituitur, ad *talos*; derivatio, *ſectis venis, quæ ſub linguâ* repunt. Si renes, ſi uterus, ſi veſica urinaria, ſi vicinæ huic partes vitio tentantur, miſſus è *brachio* ſeu *manu* ſanguis revulſio eſt; è *ſaphenâ*, revulſio ſimùl & derivatio. Applicitæ verò ad *ſedem* vel *naturalia* hirudines;

ad

ad *femina* cucurbitulæ ſatìs derivant.

Hîc fortè ultimò quæratur, *cur acturus de medicamentis in Continente Febre præpoſuerim reliquis omnibus ſanguinis miſſionem*. Ratio ex ſuperiùs dictis in promptu eſt. Quia ubi ſanguis vel ſuimet copiâ, vel immodicè ſub fervore ſeſe expandendo redundat, detrahendus minuenduſque illicò eſt, triplici de causâ; ut nè concepto lentore in aliquod Viſcerum transferat perniciem; ut quicquid morbidæ materiæ tumultuario eo impete confusìm abreptæ ſeparari propria per ſecernicula nequiret, ſublatâ plenitudine (quod nullâ aliâ viâ fieret ità promptè ut neceſſe eſt) reductoque pacatiori motu, ſuâ illa ſponte, ſuâque ſeu gravitate, ſeu levitate ſecedat, quod ſæpè accidit aut ſolutâ alvo, aut prorumpente ſudore; utque demùm, niſi hoc obtigerit, fiat ceteris medicamentis locus, per quæ ſaltèm faciliùs eadem illa, dato liberiori ſpatio, ſeparetur. Atque hinc, quarè præpoſuerim *detractionem ſanguinis* liquidò apparet. Quòd ſi rursùs quæratur, *anne etiam rectè ducatur alvus antequam ſanguis detrahatur, quod fermè faciunt tanquàm ſacramento aliquo obſtricti Medicorum plerique?* idem, quod ſatis ſuperiori

quæ-

quæſtioni fecit, & huic facit. Vel, ſiquid ultrà deſideretur, *obſervanda Febris conditio eſt, atque habitus Febrientis*. Si de plenitudine certò conſtet, qualiſcumque generis ea fuerit, omnis alvi ductio ſuſpecta erit. Nàm diſtentos plenitudine canales abſque damno, metuque periculi vix tentabis. Nec ſi tentes, ſolet aliòqui ſatis reſpondere tentamen, obſiſtente plenitudine ipsâ. Vel, ſiquid reſponderit, qui disjuncti turbabant hominem, morbidos humores allicias in interanea; unde mòx, dùm vena depletur, in ſalientis ſanguinis locum (quæ neceſſitas machinæ eſt) conjuncti conſertique propellentur per lacteos ductus, haud placidiores intrò regreſſi turbas excitaturi. Id ſi non uſque contingere animadvertitur; indè commodùm, reor, eſt, quia minùs animadvertitur; morboque intereà tribuitur quod noſtrum eſt: vel quia etiam, non raró perperàm Curati robur, quæ errat Medicus, protegit. Ceterùm notorium eſt ſpontaneis ſanguinis quàcumque ex parte ſani infirmique hominis eruptionibus nullam plurimùm præmitti à ſapiente Naturâ alvi dejectio-ctionem: Vulneratoſque in prælio vel rixâ prorundere impunè ſanguinem: Attonitis autèm

N Reſo-

Resolutisque, quis est qui dubitet, imparatis evestigiò sanguinem mittere? Quarè non video, cur hodie Medici, antequàm sanguinem detrahant, scrupulosè adeò alvum subducunt; nisi si id faciunt, ut aliquid ex arte facere videantur? In pacatiori quidèm febri, cuique plenitudo non est adjuncta, dejectionem rectè præmittimus; quam fortè detractio sanguinis non ità rectè subsequitur.

Quod, si à principio ratio morbi, seu quælibet alia causa, moneat esse supervacuam, vel interdicat omninò, sanguinis missionem; contrà verò angustiâ nescio quâ & gravitate præcordiorum, stomachique anxietate; non sine stratis viribus, ac languenti arteriæ pulsu inquies, anhelus teneatur Febricitans; si ructitet, si nauseet, aut vomituriat; si edax simùl crapulosusque, aut alimentis alienis usus antea fuerit, cogitandum, nisi quid vetet, *de vomitu*, erit.

Quæcunque intùs conclusa Stomachum vehementiùs infestant, hærentque pertinacius, quàm ut dejici per inferiora possint, *per superiora*, quâ via brevissima, dato medicamento *purganda* sunt. Quo irritamento non modò ipse stomachus, sed universa circum vicinia purgatur, evocatâ è proximo quoque viscere inu-

inutili materiâ. Superiorum ætatum Medici biliosum præcipuè humorem utpote leviorem aptioremque sursùm efferri, vomitui destinabant. Sed prorsùs non aliâ artis industriâ & pituita, & contumax quâ pondere quâ tenacitate quicunque humor certiùs exigitur foràs. Fuitque olim id remedium eòusque familiare, ut vèl sani homines bis atque etiàm pluriès in Mense, ex Medicorum consilio, eo sese curarent. Nupèr discedentibus Medicis in factiones, non tàm studio veritatis, quàm contentione animorum atque odio Partium diffamatum vulgò est. Quùm ceteroqui opportunè peritèque administrato suus cum aliis artis præsidiis locus & sit, & esse debeat.

Quoniàm verò omnis depletio unà cum humore, qualiscunque is fuerit, exhaurit & vires, providendum antè est, ne *eum vomere cogamus*, cujus vires imbecillæ neque vomitus violentiæ, neque ulteriori imbecillitati substinendis pares futuræ sint. Quocircà dignoscendum hìc quoque erit, nùm languentis vires premantur veriùs, quàm extinctæ tàm subitò sint? quod in morborum principio, deque homine qui paulò antè affatìm valebat, credibile vix fuerit. Etsi enìm maligni nescioqui humorum, Cœlique

ambientis afflatus efficere illud passim dicuntur, sæpissimè, opinor, accusamus insontes. Febres enìm plurimæ, quas *malignas* appellamus de genere *intermittentium* sunt ; neque aliæ prorsùm, quàm aut *quotidianæ*, *aut quartanæ*, plerumque tamèn *tertianæ continuæ* (sic eas liceat nominare) *illæ præsertim*, *quæ tùm Romæ*, *inque universo litoralis Latii Campaniæque tractu*, *cùm alibi per Italiam*, *sub autunnali*, *nativâ Intermittentium tempestate*, *mortalium nonnullos*, *qui negligentius se habent*, *hâc illâc aliquandò corripiunt*, *non sine peculiari veterique hujus Cœli infamiâ*, *atque Indigenarum Convenarumque communi metu*: *Quum aliàs ubique terrarum*, *ubique locorum*, *ubique Gentium*, *quò eædem coeant conditiones*, *idem* & *contingat*. Quod profectò & apud rerum medicarum omnium Gentium Scriptores reperire est; & ipse experiendo vidi, qui vèl sub occidente Sole ipsissimas hasce Febres sæpè curaverim. Quæ idcircò faciliùs inibi dignoscuntur, quòd certa certis conclusa finibus frequentent loca. Ubi, quemadmodùm & hìc, tametsi causa una eademque, atque una eademque natura morbi est, variè tamèn febriunt singuli, pro vario uniuscujusque habitu vitæque genere. Alteri

teri quidèm *tertianâ ſimplici*, *duplicive* manifeſtâ cum intermiſſione, aut remiſſione; non abſimili *quartanâ* Alteri; quidam verò *Continuâ*, cum obſcuris tamèn, nec niſi aſſiduo ad Ægrum Medico ſe prodentibus remiſſionum, acceſſionumque notis, modò ſingulis; modò alternis quibuſque diebus. Quæ idcircò, ut conjicio, non intermittit, quià cauſa exterior ſub eodem cœlo ac tempeſtate uſque eadem quùm ſit, interior autèm copiosè affecto in corpore quùm exhuberet, jugem uberemque, longoque ſuffecturum incendio, congerunt fomitem: unde is ardor excitatur, qui, ut dubiæ vixque notabili remiſſioni locum per initia det, non priùs tamèn ſuccedentis acceſſionis horrori aut frigori dabit, quàm jugis ille uberque fomes continuo eo circuitu abſumptus imminutuſque deficiat; ſi modò Febricitantis vita non antè defecerit. Ejus generis *Continuam* atrocia quoque, ut noſtratem hanc, ſymptomata comitantur. Principio quidèm oſcitatio, pandiculatio; mox, idque ſæpius, horrôr; quandoque, tamètſi rariùs, protinùs calor æſtuſque; nauſea pertinax; abnormis vomitus; alvi fuſio; virium languor; animæ identidèm defectio; inquieta jactatio corporis; luctuoſa

ſpi-

ſpiratio; porrecta laſſitudo; ſiccitas oris; linguæ aſperitas; anxia ſitis; nùnc vigilia, nùnc ſomnus: nùnc loquacitas, nùnc taciturnitas; paſſim deſipientia; interdùm diſtentio nervorum rigorve; interdùm juxta aures tumor. Eſſe eam *è familiâ Intermittentium* ſuæmet notæ apertè demonſtrant. Apertiùs manifeſtæ illæ intermittentes, quæ ibidèm, eodemque tempore promiſcuè quùm vagentur, ejus congeneres ſe eſſe ſignificant, cum ſcilicèt malè habitæ in *Continuam*, qualis ipſa eſt, ex facili tranſmutantur. Apertiſſimè verò, tùm ipſa ejus curatio, tùm illa in *ſuam*, cujus verè eſt, *naturam* (poſitâ nempè *Continentis* perſonâ) ut prona, ità frequens reverſio. Nàm ſæpe fit, ut *cotulâ juris*, *peruani verò corticis denario*, *quartâ quâque horâ* (miſsâ omni ambage) alternè datis, tot, tàmque terrifica ſymptomata ſensìm cum febre ipsâ evaneſcant: *Sæpè* etiam, procurato arte, ſemèl aut iterùm ſub initio, vomitu, *Continua*, quæ videbatur, dimiſſo ſymptomatum famulitio, redeat in *legitimam*, qualis fuit primâ ab origine, *intermittentem*; Undè & impeditæ anteà vires expediuntur; quas fortè aliquis maligno afflatu tactas, reſolutaſque paulò antè judi-

judicasset. Propterea, oportet facientem medicinam introspicere corpus humanum, contemplarique ipsius firmitatem roburque, non tàm à robore ac firmitate, queis constat, partium, quàm ab earundem positu consensuque, ac divino illo inexplicabili artificio majori ex parte pendere: Sique ex iis una vel altera, quæ præcipua in officio sit, minùs operi consentiat (quod non magnâ de causâ sæpiùs accidit) totam machinam hâc illac protinùs labare rimasque agere. Ex hoc igitùr, neque admodùm fidere, neque despondere illicò animum debet Medicus. Quia non semper veneno, malignâque pernicie resolvitur humani corporis virtus. Siquam verò temporariam, nec pertinax causa opprimit, illam apta, nec tamèn operosa, medicina sæpè restituit.

Hæc, oblatâ occasione, huic loco inseruimus haud citrà propositum. Etenìm, dubium supèr vomitu cum esset in languore virium, *impediri* quidèm *opprimique* aliquandò *illas*, *non* autem *dissolvi destruique*, principio præsertìm morbi, exemplo monstravimus. Quam *languoris differentiam*, sedulò debet Tyro inter curandum attendere. Quod aliàs quoque monuimus.

Neque

Neque non advertet animum ad alia nonnulla, quæ ſi negligat, pudori, imò quandoque etiam ignominiæ ſibi ſint. *Tutò* enìm *vomunt* qui amplo ſunt pectore, qui non densâ rigidâque corporis compagine, qui huic remedio aſſueti: *Non itèm* inſueti qui ſint, qui obeſo corpore, brevique collo, & carnoſo, qui ventroſi, qui arcto pectore, qui difficilè id anxièque ferunt; *neque tutius* ii, quorum venæ plenitudine diſtenduntur: *Minùs* qui ſanguinem vomere, vel extuſſire conſueverunt, vel alio quolibet pulmonum vitio laborant; quique oculorum graviori aliquo affectu conflictantur; ſiccoque & imbecillo ſunt capite: Sed *neque* ruptis hernioſiſque utilis hujuſmodi curatio erit: neque per hyemem facilis; niſi vel auſtrinâ tempeſtate, vel in tepenti vaporoſoque Conclavi. Non enim per æſtatem commodior vomitio eſt quia bilis; tùm (quemadmodum pridèm opinabantur) calidique luxuriant humores; ſed quia laxiora ac mollia eo tempore corpora ejuſmodi curationi opportuniora ſunt.

Quæ *vomitum cient* multa ſunt, Aqua tepens, jus pingue, oleum; flos anethi, geniſtæ; hujuſmet ſemen, tùm atriplicis, raphanique

nique ; Radix peponis, Aſari ; album Veratrum, ſexcentaque alia, quorum pleraque exolevere jam. Quæ maximè omnium ciendo vomitui uſurpant hodie Medici duo ſunt, *Hipecacuana*, radix illa jàm non obſcura, quæ à cognomine Americæ Solo ad nos tranſnavigat: atque igne nitroque plurifariàm elaboratus nitens ille *metallicus lapis*, quem vocant *Stibium*. Tertianæ Quartanæque Febri; itèm torminibus, ventriſque perturbationum certis generibus *illâ* præcipuè utuntur: *Hoc* oppidò latiùs; utique ubi incidunt materia morbuſque eradicari contumaces.

Mihi quidèm ejus *Radicis* rarior eſt uſus, qui peregrina venena præ noſtratibus minùs miror; quique putem, non aliâ eam ratione prodeſſe, quicquid prodeſt, quàm quià largiori manu exhibita per ſuperiora, parciori per inferna purgat, idque nonniſi interpoſito vomendi niſu. Quod & noſtratia facere perindè poſſunt; modò Hipecacuanæ ludibrium intelligatur. Sicui tamèn, excitandi vomitus causâ, uti eâ libuerit, is ad aſſumentis vires ætatemque medicaminis modum accommodabit; ſic porrò, ut ultrà denarium non tranſiliat: qui terminus, neque ſi cum robuſtiſſimis qui-

dèm res fuerit, rectè exceditur.

Ipſe loco hujus, ubi vomitu opus ſit, libentiùs utor iis Medicinis, quæ parantur è *Stibio*. Quas inter probatiores uſu ipſo mihi ſunt *Mercurius vitæ*, *Crocus metallorum* (ità quæ repererere eas tempora loqui amabant) & præcipuè omnium *Tartarum*, quod vocant, *emeticum*. Quod (miſſis aliis) ſic efficies. *Stibii ad nitorem recocti pondo libram, nitri puriſſimi tantundem terito probè, & mixta cribrato. Mixturam in candentem Crucibulum paulatìm ex minutulo Cochleari conjicito, ut edito crepitu efflagret; illamque ità igne fuſam, adbùc ſemiboram ſinito. Poſtquam deficiente igne refrixit, iterùm ferè in pollinem terito: admixtoque Cremoris Tartari ſubtiliſſimè itèm triti duplo modo, rursùs cribrato. Alteram banc mixturam in ferventem aquam minutatim perque vices infundito ad ſalis ſolutionem. Hoc ſoluto, aquam ſic ferventem colato per chartam bibulam. Eàque totâ ſuppoſito igne in vapores auraſque reſolutâ, reſiduum ſalem colligito & ſervato.* Qui Tartarum illud erit, quo ego tutò, æquè, ac utilitèr uti maximè ſoleo: quique ex vino, aut alio quolibet apto liquore exhibetur infrà & ſuprà obolum; & quidèm robuſtiſſimis ad ſexdecim uſque grana.

Ut

Ut autèm ſatis norit Medicus aptas & congruentes Medicamentorum menſuras, occaſioneſque; tùm quoque illud, quod efficere intrò data plurimùm ſolent; non tamèn unquam ſatis noverit, nùm in ipsâmet ipſorum præparatione, nùm in intimiori aſſumentis conſtitutione ſubeſſe aliquid vitii poſſit. Quam ob rem, quò ſuas ipſe expleat undequâque partes, præſcripto medicamento, maximè vomitorio, etiamſi ſcitè prudentèrque præſcripſit, aſſidere nihilominùs vomenti debet; ut ſiquid inexpectatò interveniat, præſtò ad ea ſit, quibus aliàs abſentia periculo, aut trepidationi futura eſſet. Itaque octona illa, denaque grana, vel quotquot convenire aſſumpturi rebus viſa fuerint, in vini cyatho aliquot antè horis jubebit macerari, quò promptior dèin vomitio ſequatur. Si res impatiens moræ fuerit, ex cochleari calfacti vini, aut aquæ egelidæ ſtatim ea dabit, ſuper dato hauſtu calentis vini. Quod ſi poſt ſemihoræ longiùſve ſpatium nondùm ulla vomitus, vel frigida argumenta ſint (quod fieri ſeu Medicinæ ſeu Stomachi vitio nonnunquàm poteſt) unum adhùc, alterumve, aut etiàm tertium ejus granum ſuperingeret. Si verò videat, irritos vomendi niſus, laboremque lon-

 giùs

giùs trahi, quàm par eſt; tepido jure, vel tepenti aquâ ex centaureâ, aut fumariâ decoctâ identidèm largiùs inditis, vel immiſsâ in fauces linitâ oleo pennâ, rem perficiet. Vires laborioſo in opere ſi langueant, potiunculam aliquam, quâ illas recreet, ad manum vomenti eſſe provideat. Fieri contrà nonnunquam poteſt, eòuſque irritari ſtomachum, ut poſitus vomituriens præſenti in diſcrimine Adſtantibus videatur, niſi maturè vis vomitus cohibeatur. Id quidèm raro accidit, poſt ingeſtum, regeſtumque vel juris, vel aquæ tepidæ largiorem modum. Si tamèn accidat, minimo negotio ſedabitur, hauſto Syrupo ex albo papavere odoræ cujuſpiam aquæ ſeſquiunciâ diluto, adjectoque in condituram lacteæ cinnamomi cochleario. Qui hauſtus, niſi primò reſpondeat, quòd fortè ab indignante ſtomacho rejectus ſit, ſecundò protinùs iteratus certè reſpondebit. Compreſſo, vel finito ſponte ſuâ vomitu, utile erit quieſcere, ſomnoque refici Febrientem, niſi ſiquid impediat; nàm nec deſunt idonei authores, qui excitum eo molimine in corpore tumultum ſomniferâ potione tranquillent.

Qui hæc præſtiterit Medicus, ſibimet-

ipſi,

ipsi, remedioque simùl, quod suum erat, consuluit. Si enìm, quæ prodesse volumus, non rarò turpitèr nocent, id non remedii culpâ plerùmque fit; sed sæpiùs vel imperitiâ ministrantis, vèl negligentiâ.

In febri quidèm continuâ, eodemque usque passu progrediente, ubi crescere desiit, aut ubi symptomata maximè postulant, erit tempus vomendo aptissimum. In eâ continuâ, in quâ subobscura remissio aliqua notatur, ipsum remissionis; vel, siquid obstat, matutinum tempus, quo solent omnia pacatiora esse, captandum medicinæ erit. Quomodò in aliis ab Acutâ Febre ægritudinum generibus administrari vomitum deceat, aliundè petendum est. Nec enim rei ordo patitur, ut longiùs à proposito digrediamur.

Verumenìmverò est, ubi mitti sanguinem, deindè vice vomitus, alvi dejectionem; est, ubi horum penitùs nihil; est, ubi dejectionem duntaxàt res exigat. *Alvi dejectio* idem præstat, quod alia qualiscunque artificiosa depletio; quarum quælibet corpus exhaurit, vel eum in finem, ut noxia materia exturbetur foràs; vel ut subductâ parte illius, quod intùs remanet reliquum liberiùs utiliùsque di-

geri

geri possit. Ideòque alteras alteris vicarias, nunc ratione nùnc necessitate suadente, satis rectè supponimus. Quamvis *Dejectionem* purgandis inutilibus, nutriendoque corpori ineptis, humoribus Superiores Medici propriè dicabant; Sic ut medicamenta, quibus eam moliebantur, quasi indito in significationem proprii muneris vocabulo, *Purgantia* nominarent, quemadmodùm & hodie vulgò nominantur.

Hippocrates quidèm præcipit, *purgandum in principio esse si modò turgeat materia*. Nonnulli tamèn, siquandò in id incidunt, minùs dicto audiunt; humorumque hàc illàc ruentium tumultuarium impetum cum reformident, incerti hærent timidique, nè, si quâ audeant, illàc ii veluti provocati jussique universi se effundant; undè Ægrum, subitum in exitium rapi præcipitem, qui circumstant aspiciant. Nonnulli contrà certiorem viam rati, quâ materia revellatur, sanguinem primò mittunt; proximè cient vomitum, qui suprà & infrà plerumque purgat. Quod consilium, si & cetera consentiant; sique sibi atque Ægro satis cavit, qui id cepit, expediti, ac benè sibi conscii Artificis videri possit. *Ubi materia non turget non esse purgandum*, ipse idem Hippocrates author

thor eſt. Importunè enim tentari rebatur antè tempus cruditatem. Qui ſucceſſere poſt eum Medici, *materiam, quæ læderet, exturbandam ſtatim à principio eſſe putarunt*; Ideòque alvum ſæpè ducebant. Utque Magni Viri præcepto, communique perſuaſioni proſpicerent, quibuſdam datis anteà medicamentis ejuſdem coctionem moliebantur. Poſt hos illuſtres alii, nec minori authoritate Viri rursùs *purgantia longè ab omni febre repulerunt*; contenti ſemèl aut bìs, utique poſt diem tertium, infuſis, per inferiora idoneis remediis, ſubducere materiæ onus.

Ceterùm quod ratio uſuſque ſancivit, id ſervandum maximè eſt: neque æquum eſt valere, præ experimento, opinionem. *Si* igitùr *materia turgeat*, id erit faciendum, quod eſſe faciendum in plenitudine dictum eſt. Plurimùm, enim, nonniſi in plenitudine aut luxuriante bile, ea turget. Quod ſi intereà, unà (quod fieri ſolet) & *venter fluit*, id quoque cautum ſuprà eſt. Si verò illa non turgeat; & neque mitti ſanguinem, neque cieri vomitum res aut exigit, aut patitur, id rectè fieri judicamus, quod à prudentibus artis Medicis vùlgò fit. Nàm, ſiquidèm febris vehemens

mens non eſt, quarè non exundare morbidi humores videantur: *leviori* quidèm *in caſu*, ducere ſemèl aut iterùm alvum per infuſum quodpiam ſatis erit: *in aliquantò graviori*, licebit dato leni medicamento etiam purgare. Quod poſt febris incrementa, poſt diem nimirùm tertium utiliùs fit, ubi nullus à morâ metus. Aliàs licebit quoque antè tertium (modò, quam minimò irritamento fiat,) aut aliquo infrà infuſo, aut medicinâ aliquâ. Quandò hodiè, non ut Antiqui nigro veratro, ſquamâ æris, lactucæ marinæ lacte, ſimilibuſque aliis corpora confundimus; ſed mitiora reperimus, quæ vim penè nullam Naturæ inferunt.

Evenit interdùm: ut morbi quidèm ratio poſcat ſanguinis detractionem; prohibeat *imbecillitas*. Tùm ſatis rectè, loco mittendi ſanguinis, alvum ducimus, vel infrà infusâ, vel potui datâ leni Medicinâ; eâque (ſi opus fuerit) per vices iteratâ: Quâ ratione & quod volumus ſensìm aſſequimur; ſubſtinemus & vires. Si autèm ſerò vocatus Medicus reperit, qui mitti debuerat, ſanguinem, non eſſe miſſum; nùnc verò mitti, neutiquàm ſinere afflictas vires; tùm quoque rectè dejectionem ſufficiet, eamquè uti viribus, ità & tempori accom-

accommodabit. Id idem longè tutiùs efficiet, ubi alvi ductio, quam præ ſanguinis miſſione initia morbi deſiderabant, intermiſſa adhùc uſque eſt. Aſt ubi nihil prætermiſſum à principio fuerit ex iis, quæ præmitti oportuerat; occaſio tamèn poſteà ferat, ut dejectio iterùm ſit neceſſaria, conſulendæ vires ſunt; purganduſque Æger adhùcdùm erit, prout vel infernè infuſa, vel potiones ferre poſſe videbitur. Sed ſpecialiùs cavendum hæc inter, ſicut aliàs monuimus, nequa inſtet morbi judicatio; quæ turpitèr profectò, nec impunè per id temporis interciperetur.

Quæ infrà purgant ſunt propè innumera; Effecitque adhùc plura, nùnc induſtria, nùnc ambitio Medicorum, quæ ſimplicia Natura dederat, componendo. Ejuſmodi Compoſitionum non ſanè paucæ, quas probavit uſus, commodè atque utilitèr receptæ in Medicinam ſunt. Pars longè maxima ſupervacuò reperta eſt. Atque utinàm Simplicium naturam, quæ qualiſque ineſt ſingulis, perſpectam haberemus! Locus certè non foret huic tàm liberæ licentiæ; quâ nùnc, pro ſuo quiſque arbitrio, nugamur. Dignoſceremus autèm, quæ huic loco, tempori, corpori conveniant,

difconveniant illi; & quo unumquodque modo vim intùs exerceat fuam. Quod fane Antiqui fibi voluere, cum fingulis ex quaternis illis, quos fomniarunt, humoribus, fingula purgantia tribuerunt. Quoniàm verò æquiffimus humano generi Pater rerum naturalium fcientiam intrà ufum nobis finivit, eumque tranfgredi terminum interdixit; ideo Purgantibus, ut quæque experiendo novimus, fic decet uti. Sique fingula aptare fingulis, quod vellemus, datum non eft, habemus undè acquiefcamus, fi nobifcum reputabimus, nùm fupervacua forte cupiamus? Non enim, quod vidiffet homini olìm ufui futurum, negaffet Deus, cujus prudentiam bonitatemque redarguere non tàm impii, quam ftulti foret. Scire tamen intereà licet, *quæ fuprà vel infrà purgant, effe omnia quoddam veneni genus*, ideoque, vehementiora quæ funt, rariùs effe circumfpecteque ufurpanda: In *Acutâ Febri* (modò ne magnum aliquod fymptoma illa fibi fpeciatìm expetat) certè *nunquam*; nàm corpus, humorefque violentiùs confundunt: à quâ re nec temperant pro fuo modo, vèl mitiora: neque aliàs ignis vel gladio, vel injecto oleo benè reftinguitur. Si tamèn occafio fuerit, quidpiam

per

per febrem efficaciùs agendi, commodiùs tutiusque id fiet vomitorio, quam vehementi, quod per inferna purget, medicamento. Cumque de vomitorio mentio iterùm inciderit, prætereunda non est (quam hùc distuleramus) quædam, *per vomitoria infra purgandi*, ratio; illa quidèm haud communis; sed in loco certè utilis. Etenim ab eâ (siquando vires, seù quælibet alia causa vomitionem rejiciunt, quæ aliàs esset necessaria) eadem ferè habemus commoda, quæ à vomitu; & ab re dubiâ nos expedimus. Non tamèn tentari id potest fortioribus Remediis, quippe quæ nequeunt minutatìm tribui. Sed *Tartarum*, quod suprà descripsimus, *Hipecacuana radix*, aliaque his similia, haud ægrè respondebunt; si singulis horis, singula vel bina grana Tartari exhibeantur; sique id continuetur, quoàd noxiæ materiæ dejectum abundè esse videbitur. Eodem erit ferè modo Hipecacuana ministranda: nisi, quòd affuso aceto aliquandiù priùs macerabitur, quò ex accessione molis, amissâ tenuitatis agilitatisque parte, non totâ ferociat vi; liceatque eam ad quina, senave grana in quamque vicem offerre. Sic distributum vomitorium medicamentum, cum excire vomitum

 satìs

ſatìs non ſit, nauſeam tamèn, quod ſuum ingenium eſt, vomendique niſus identidèm excibit, queis accitam hinc indè in Ventriculum materiam per inferna mòx deturbet. Quâ nihilominùs in re præmoneri oportet, quòd rectè iterabimus remedii vices quoàd propè aſſecuti eſſe videbimur, quod fuerat in votis; quòdque niſi, poſt idoneum ſpatium, ſequitur dejectio ſponte remedii, tùnc alio infrà infuſo erit ſolicitanda; ne nimio plus iterantes, vel effuſam ultrà modum dejectionem, vel vomitum tandèm eliciamus; quod eſſet propoſito plane contrarium.

Sed jam revertimur ad Cathartica, è quorum latiſſimo uberique Campo (ſepoſitis vehementibus, ut *quæ debeant à febre* præſertìm *Acutâ procul arceri, aut perquàm raró admitti*) pauca è lenioribus ſeligere ſatis erit. Talia ſunt *Tamarindi*, *Caſia*, *Sena*, *Rhabarbarum*, *Manna*, peregrina ſanè vocabula; ſed pluriſariam utilia. His addeſis *Amygdalinum*: Oleum nempe, quod è tuſo amygdalo fiſco præloque exprimitur; quodque febri, ſiquæ cum dolore ac diſtentione interaneorum, aut cum renum, veſicæ, uterive affectu aliquo ſit, ad uncias quatuor vel quinque potum

præ

præ primis convenit. Succi quoque expressi, omnisque liquor, qui plantarum, florumque dejectoriâ facultate aut ex maceratione, aut ex decoctione sit imbutus (Saccharo conditos, *Syrupos* vulgò nominant) utilitèr usurpantur; ut qui è *Fumariâ*, *Violâ*, *Rosâ*, *Persicique* flore parantur. Longum esset singulas persequi, quotquot ventrem turbant, medicinas: quarum Simplicibus, si & omnigena compositarum monstra, velles adjungi, oppidò in immensum, atque ultrà humanam patientiam labor excresceret. Sufficiat nonnullas memorasse, quæ doceant sui exemplo; quales febricitanti sint accommodæ; siquandò aliis ab his uti aut præstet, aut libeat. Quâ mensurâ, quove modò sint exhibendæ, prostat ubique apud nostrarum rerum Scriptores. Reliquum, quicquid erit, loca, anni tempora, ætates, atque habitus assumentium ultrò monebunt.

Utque de *eâ* quoque *dejectione* (quoniàm hùc loci devenimus) quam *per infrà infusa* ciemus, aliquid subjiciamus: mirari satis non possum, quorundam, temeritatem ne dicam, an alienæ vitæ negligentiam, qui nullo non tempore isthoc remedii, vel potiùs molestiæ, genere febrim exstimulant; rem dicto asserentes,

tes, *omni morbo id esse conducibile, nec unquam nocuum*. Quo sanè, pronunciari inconsideratiùs nihil potest. Ut enim utile illud plerumque sit, non raró tamèn esse potest inutile; prout modò incongruum fuerit modò intempestivum importunumque. Neque aliàs dubium est, quod prodest, pari idem ratione posse nocere. Imitandi hâc de re satiùs erunt prisci Artis Proceres, qui, per Febrem, intento æquè animo deliberabant, cum per inferiora infundenda medicina esset, quàm cum ingerenda superiùs: tantique curationem illam faciebant, ut huic quandoque sufficerent. Et profectò illa quoque, prò sua parte, & subtrahit vires, & corpus conturbat. Passimque norunt qui non dormitant intèr curandum Medici, post eam minùs opportunè administratam, aut labi in languorem, aut aliàs in deteriùs agi Febricitantem. Cujus tamèn rei causa facilè dissimulatur; quòd persuasum, plerisque sit, innoxiam usque esse istiusmodi medicinam. Quùm apertissimè tamèn nocuerit; etiàmsi nihil acre fuerit infusum; nec sanè aliud, quàm tepens aqua, vel merum lac. Siquidèm ista quoque, ut non morsu excutiant, pondere certè tactuque provocant lubricam suspensamque febrili motu

motu materiam. Propterea ista quoque Medicinæ pars eâ, quâ par est, prudentiâ diligentiâque tractanda erit. *Quæ infunduntur esse solent*, lac, hordei cremor, serum, aqua tepens hæc eadem salita, sin minùs haberi queat marina; tùm in quâ flos violariæ, malvæ, boraginis: in quâ & malva ipsa, acantus, fænumgræcum, sertula campana, mercurialis; aut è Verbenis quæpiam, sexcentaque id genus decocta sint, prout propositum est sive eluere, mollire, lenire; sive detergere, inflationemve levare. Quò vero alvum moveant olea adduntur rei accommoda, salisque momentum, aut Saccharum; nùnc etiam quidpiam mellis, vel Casiæ, vel cujuslibet dejectorii medicamenti. Quibuscum agendum *validiùs* sit, ut cum Veternosis Resolutisque (nàm id quoque incidere inter febrem potest) *injectis acrioribus* opus est. Quibus adstricta duraque alvus nil perindè utile, ac injectus *betæ albæ* succus. Si comprimi adstringique oporteat, adstrictoriis addito Papaverina. Sunt qui putent *infusis* per inferiora, quæ apta nutritioni sunt, *nutriri* hominem. Id, sicubi eo ventum est, ut alitèr fieri non possit, facere siquis velit, nil moramur.

Cum tamèn, qui per infusa curandus

Æger

Æger fuerit, nequeat interdùm hâc ratione curari, qualiſcumque demùm obſtet cauſa, confugiendum ad *balanos glandes ac ſuppoſitoria* tùnc erit; quæ & facili operâ expediteque ſubduntur, & paritèr atque injecta poſſunt diverſimodè medicari, & ſuo quæque propoſito accommodantur. Pueris quidèm *malvæ*, *hibiſci*, *betæ albæ* radix oleo illita aptè ſupponitur: itèm & deraſi *ſaponis fruſtulum* muriâ tinctum. Excocti tamèn *mellis* ſpiſſamentum, cum ſale, ac dejectorio aliquo, miti vel acri, (qualecumque res exigat) irritamento intritum, frequentiſſimè omnium ſubditur.

Atque hæc de *Dejectione*, *Vomitu*, *ſanguiniſque detractione* generatìm dicta ſunto: undè ſuo ſingulæ, quandocunque res ferat, aptentur loco. Quod oppidò fieri ſi oporteat, per febris initia opportunius plerumque fit. Tametſi occaſio eſt, quam dignoſcere debet Medicus, ubi omninò nihil aut certè parùm, ſit movendum: ut ſolâ alimenti diſpenſatione, atque aliquo infrâ infuſo tranſigi res tota commodè poſſit; ſitque præcipuum ipſa febris ſuimet remedium.

Detracto igitur Sanguine; cito vomitu; dejectâ alvo (quodcunque horum viſum fuerit neceſ-

necessarium) servatisque iis conditionibus, quas ad singula tradidimus; scire licet, à vomitoriis dejectoriisque medicinis conturbari admodùm corpus, ex quo morbi motus videtur intendi. Hunc, antequàm aliquid facessat negotii, sedare (simul ac cessaverit suo ab opere remedium) dato papavere consultum erit. Quoniàm autèm mentio de papavere incidit, nonnulla de *Soporiferis*; tùm *de iis, quæ cutim adurunt* Medicinis, hìc subjiciemus. Præcipua enim duo hæc artis auxilia sigillatìm locari, atque à populo sejungi merito quodam suo decet. Utque Adurentia primò expediamus:

Protensa veluti tradux ad hæc usque tempora est, & adhùc Medicorum nonnullis penitiùs hæret pervicax earum Partium studium, quæ Avorum nostrorum memoriâ internecinis odiis & planè mordicùs adversus *Cantharidas* pugnaverunt. Tametsi non in eo, quod sibi aliquis persuaserit, sed in facto sæpiùs periculo Artis præsidia stant. Proindè inquirendum, nec ultimo quidèm loco erit, nùm ejusmodi auxilium aut febris, aut hujus symptomata sibi expetant. Ubi convenire visum fuerit, audactèr apponito; ne per inertiam remedium prætereas, cui non alterum in univer-

sâ Arte par invenias, nec multiplici adeò nomine æque utile. Itaque tot illas, quæ cuilibet & quidèm mediocri ingenio ultrò se offerunt, reclamantes rationes securus contemnito; quas brevi post coarguas, qui consequetur, effectu. Non ignotum id Muscarum Antiquis fuit, quas vel ternas numero potui dabat Hippocrates: Exteriùs, dubito, an adligarent; cum potiùs sale, sinapi, aliisque adurere cutim in more haberent. Quamvis detergendis delendisque, quæ in cute essent, vitiis eas illevisse, apud priscorum temporum Scriptores græcos, latinosque plura extant argumenta. Numquid extrà applicitæ ad internos possent affectus, serò admodùm tentatum hàc illac est, utut timidè, & verecundè. Tandèm inclinante Sœculo decimosexto ad plura morborum genera, pestilentiamque ipsam, vulgata per Italiam palàm & publicitùs isthæc Medicina est. Et licèt non pauci per id temporis, ita ut nùnc fit à nonnullis, in diversum secederent, vicit tamèn experimentorum constantia, usurpataque ipsis omnium oculis passìm utilitas. Appositæ igitùr cuti *Cantharides* in vehementi ardentique febri magna præstant commoda, nàm & ipsi unicè

unicè auxiliantur, & quæ subsequi ipsam solent nùnc veternum, nùnc nervorum distentionem, deliriumque prævertunt: His autèm symptomatibus, ubi incessere jam, aliisque, quotquot caput nervosque tentant affectibus nil æque medetur: Quìn & sudoribus, iisque propellendis, quæcumque ad cutem vergunt; tùm urinæ simùl ciendæ efficacissimæ omnium sunt; cum cetera, quæ sudori lotioque eliciendis dicata sunt remedia, incertissimæ prorsùs efficaciæ omnia comperiantur. Quomodo tot hæc, tamque varia efficiant *Cantharides* haud operosum dictu foret; Sicui ineptire philosophando libido esset: Mihi porrò digredi juvenilitèr ad hasce nugas, nec animus, nec otium est. De cetero exiguus ille doloris sensus, qui excitatis pustulis, perstrictâque summâ cute, Ægrum vellicat, non is est, qui contrà tot tantasque utilitates debeat appendi. Nefasque esset, deterreri quemquam a remedio, quod undequâque tutum, pluribus efficax, atque omni habitui, ætati, febrisque tempori congruens sit, quoque in uno, aut certè non æquè in alio, levandi, qui urget, morbi, siquæ fuerit reliqua, spem reponas. Qui autèm huic Medicinæ objiciunt; *quòd nonnum-*

 quàm,

quàm, quæ facit ulcera, gangrænâ tententur; nihil poſſent vel iniquiùs vel ingratiùs objicere. Neque enim id malum niſi corrupti vitioſique corporis eſt. Quamobrem ſi, quod intùs abditum ipſa vitæ penetralia obſidebat, vitium illa foràs evocatum cogit ſeponitque in ulcere, ubi uſurpari oculis, modicæque carnis abraſione curari manu queat, maximæ profectò habendæ illi gratiæ ſunt. Si verò idem illud vitium in omnium conſpectum protractum, eſſe opinione majus oſtenderit; vel, quid oporteat fieri, indicabit Medico; vel certè, ſi rei mole is vincitur, ipsâ vitii magnitudine coràm expoſitâ ejus operam excuſabit. Verùm & poteſt uſuvenire, quòd non tàm ex latente intùs vitio, quàm ex alienâ imperitæ manus curatione ulcus degeneret. Quis autèm ſanus id medicinæ culpæ det? An non optimi cujuſque remedii eadem eſt calamitas, ut quandòcunque malè miniſtratur, & malè audiat? An idcircò amovenda ab Arte univerſa forent?

Ex iis, quæ hactenùs dixi ſatis conjicitur, quandò *tempeſtivitas* huic Medicinæ ſit. Quæ certè erit, quandocunque uſui futura videbitur. Etiàm ſub initio febris, ità ſi hæc, maximè autèm, ſi ſymptomata poſtulabunt.

Ne-

Neque enimverò eos imitabimur, qui, nè in aliquo ex suâ morositate desuisse periclitanti redarguantur, illam tùm demùm concedunt cum desperatæ jam res nihil indè capiant emolumenti, nomen tamèn opinionemque Remedii egregiè convellant. Apponetur verò *Capiti, quàm proximè*; ubi succurrendum Capiti nervisque fuerit: nùnc cervici posteriori tantùm; nùnc unà utrique, aut alterutri humero, prout vel totum vel pars morbo tenebitur: Remediumque nùnc amplius, nùnc minus apprehendet spatium; nùnc lenius, nùnc acrius erit pro vehementiâ nimirum morbi, quîcum res est. Hæc laboranti parti proximitas duo respicit, ut agiliores medicinæ particulæ intrò irrumpentes promptiùs vividiusque efficiant, quicquid efficiunt; crassiores cutim erodendo fodicandoque humores foràs ad se trahant, avertantque ab sacris animæ penetralibus. Cum Coxis, Surisque apponimus (quod in leviori malo neque tentato admodùm capite facimus) tùm revulsionis quoddam genus, excitato dolore evocatâque deorsùm materiâ, molimur; tùm circumacti sanguinis vitia aut per cutis cæca spiracula, aut, quod manifestius, per urinæ cuniculos amo-

amolimur. Quìn & credibile videri cuipiam possit, *Cutim*, quæ veluti circumductus universo corpori tendo est, cantharidum morsu atque irritamento circumquâque vibratam tentamque subditas arterias, venas, nerveasque ambages arctiùs amplecti; quâ pressione expeditis canaliculis, expressisque particulis minùs congruis, æquabilem sanguini restitui circuitum, homini sanitatem. Et sanè, quæ Urticis apud Nostrates, quæque candentibus affrictis corpori ferramentis apud Nationes quasdam barbaras utilitèr, & pro voto curatio fit, non aliâ fortassè nititur ratione. Quod, si ità fuerit, longè humaniùs aptiùsque fieret, per *Cantharidas*, quæ non modò extus, sed intùs quoque potestatem habent longè maximam.

Utinàm verò *externa istiusmodi* obliti propemodùm non essemus, qui modò in curandis duntaxat contentis humoribus toti sumus, quasi, quæ eos continent, reliquæ Corporis partes curatione non æque egeant. Egent profectò. Neque dubitandum, dum febrit sanguis, quin cor, cerebrum, nervi, universus homo similitèr febriat. Quod probè intellexere veteres Medici; apud quos *Balnea*, *Laconica*, *Tepidaria*, *Vaporaria*, *Insolatus*, *Fotus*,

Fotus, *Inunctiones*; itèm *Imbrocbationes*, *Lutationesque*; ut & *Gestationes* & multiplicia *Exercitationum genera* familiari fuisse in usu reperimus; quæ ex arte ac tempestivè adhibita plurimùm referre ad sanitatem, præter eorum haud sanè levis nugacisque ingenii hominum constantem usum, ratio ipsa persuadet. Nos, dùm compendia sectamur, expeditamque affectamus viam, Artem mutilavimus: fecimusque, vice simplicis, defectivam, atque ex integrâ dimidiatam. Balnea quidèm, dolentis alicujus partis fotus Unctionesque, Frictiones, Cucurbitulas, Exercitationum nonnullas, haud diffiteor, retinuimus. Quotus autèm quisque est hodie nostrum, qui iis pro dignitate utatur, siquando utitur? Ea subindè præscribimus: Sed occasionum, apti temporis, modique eorum aut nullâ aut exiguâ parùmque accuratâ habitâ ratione; tanquàm si empiricum vagumque extra artem quidpiam forent. Non is sum, qui omnes, quibus Veterum nonnulli ineptiebant, quisquilias, velim colligi. Verùm hâc de re fortè alibi.

Nùnc ad *Opium* (quod erat propositum) *nostrasque Papaver* jam descendimus. Cum eximio hoc divinæ beneficentiæ argumento cæ-

lesti-

leſtique propemodum dono ſæpè qui febricitat opus habeat, ſive illum *pertinax vigilia*, ſivè *ingens* aliquis, *dolor*, aut *irritatus vomitus*, aut *fuſa alvus* exerceat. Sæpè etiam occupandæ (quod ſuprà attigimus) turbæ ſunt quas poſt emeticum vel catharticum excitum iri metuimus. Habemus in Officinis hanc præſtantiſſimam medicinam diverſimodè præparatam. Equidem in Febri vel *Syrupo ex albo papavere*, vel *Diacodio*, quod vocant, libentiùs utor; minùs enim calfacere vulgò creduntur: interdùm etiam *Diaſcordio*, ſi unà & venter fluit; quia recipit, præter anodina, quæ adſtringunt. Quo tempore exhibenda hæc medicina ſit; quæ illam efflagitant, indicabunt: quâ menſurâ; propoſitus finis. Nàm certus illi modus ſtatui vix poteſt. Eſt qui definiat graviſſimus Author, incipiendum, in magnis quidèm affectibus, a mediocri pondere; idque ipſum, niſi primò reſponderit, totiès iterandum, quoàd reſponderit: eâ tamèn lege; ut intèr unamquamque vicem id ſemper temporis interlabi ſinat Medicus, quod ſufficere affatìm poſſit effectui ejus, quod ultimò dederit, dignoſcendo. Quò nihilominùs habeat Tyro, undè aliquam in miniſtrando

opio

opio ſibi ineat rationem, ſciat oportet, *Laudani*, quod vocant (in vehementiſſimo omnium affectu) ultrà *grana quinque* digredi non licere; ejuſdem *liquidi*, vix ultrà *guttas quatuor & viginti*: *Syrupos*, cui ab *albo papavere*, cuique *Diacodium* aut *de Meconio* nomen eſt, intrà *ſeſquiunciam*, ſummùm, concludi: *Horum mediocritatem* eſſe *ſemiunciam*: *Illorum*; *prioris* quidèm, *grana duo vel tria* eſſe; *alterius*, *denas biſſenaſve guttas*. Quorum tamèn omnium, aliarumque id genus compoſitionum cautionibus, cum peti aliundè accuratiùs queant (abundè enim reperiuntur penes Authores ſuos) non eſt cur diutiùs immoremur. Potiſſima autèm in hujus Medicinæ, eadem, quæ in aliarum adminiſtratione, cura erit; ut nimirum opportuna, tempeſtiva, congruenſque morbo, ætati, ac viribus ſit. Etenim virium reſpectus habendus hic quoque eſt; cum in magno harum languore non ſine periculo exhibeatur. Acciditque interdùm ex Medici imprudentiâ, ut, quem obdormire voluerat, excitare poſteà nequierit. Quòd ſi minùs peritè negligenterque tractetur, quicquid indè conſequetur mali, non ſanè Remedio, quod in Artis certiſſimum argumentum, ac penè miraculum

creavit Deus, ſed prorsùs totum imputandum Medico erit. Et fatale profectò videtur, ut remediorum præcipua infamaverint, & quaſi inviderint humano generi ipſi ſanitatis Artifices; qui ſuam ut excuſent ignaviam, accuſant protinùs medicamenta. Quæque Dei opt. max. benignitas dederat ægritudinum ſolatia, quia cum iis aliquantò accuratè agi opus eſt, repellunt procul ab Arte; ſicque omni ſe tœdio, curâque expediunt Deo, atque hominibus æque injurii. Siqui verò non repellunt; ſiquandò deliberaverint extendere ad Opium manum, ſummis vix digitis illud attingunt; adeòque timidè diminutèque præſcribunt, ut mirùm non ſit, ſi Ægrum conturbent potiùs, quàm allevent. Undè quod ſibi voluerant minùs aſſequuti eò liberiùs damnant remedium. Vulgus verò ſic adverſus ſuum hoc bonum, ipſis, puto, Medicis authoribus, perſuaſus, animatuſque eſt, ut apud plurimos, ne cogitare quidèm de illo prudenti Medico fas ſit, vèl cum occaſio maximè vellet: aut, ſiquid, vel clàm, vel appicto rei alio nomine, officio ne deſit, ultrà audeat, probè ſibi caveat oportet, nè vulgatæ perſuaſioni pœnas aliquandò det. Non proptereà tamèn noſtram prodemus fidem;

dem ; nec diſſimulabimus medicamen, quo carere ſi ſponte noſtrâ per inconſtantiam velimus, aliud deindè ſimile fruſtrà quæremus. Quin illud palàm & profitebimur, & miniſtrabimus; ità porrò; ut à vano, qui ab ipſo eſt metu popularique illo rumore, aſſertâ recto uſu ejus utilitate, in poſterùm vindicetur. Aliàs egregiè ſaperet, ſi qui ablegandа à ceteris quoque Artibus neceſſaria inſtrumenta cenſeret, eâ maximæ ratione, quòd iis imperitè negligenterque adhibitis operum aliquammulta corrumpi ac peſſum ſæpè dari vulgare ſit.

Univerſa, quæ ſunt in *Opio* commoda, ignoramus, opinor: *pauca*, quæ monſtravit uſus jam ſubnectam. Nàm potum quaſi inebriat, efficitque neſcio quam animi ſecuritatem, humanæque ſortis oblivionem; ſomnum accerſit; dolores lenit, ſopitque; ſudores movet; ceteros, omne genus fluxus compeſcit; medetur convulſis; tuſſim ſedat; cogi in venis ſanguinem prohibet; coactum liquat; expandique, ac turgere facit. Quod fortaſsè reliquorum ejus effectuum cauſa atque ratio eſt; quodque ipſe ſtatìm utcunque expedirem; niſi viderem ineptè locari in eo operam, quod æquè credi, ut negari licet. Quan-

tumvis haud ægrè mihi persuadeo, plurima rerum naturalium scire nos, quorum tamèn scientiam, cum dubitari de eâ prò uniuscujusque libidine, neque aliàs demonstrari evidentiùs possit, loco opinionis haberi necesse sit.

Propositis primariis Artis auxiliis, singulorumque usu, loco, atque modo, ad abruptum *Curationis*, quam suscepimus, *ordinem* jam revertimur. Igitur, ut fecit Medicus, quod fieri initio decuit (quicquid fecerit ex iis, quæ hucusque tradidimus) febrem intentis oculis ponè sequatur quoquò progreditur; vigilemque se præstet veluti Gubernatorem ad clavum ad vela continuè præsens. Ad duo tamèn respiciat in primis: *ne concidant vires*: *ne excandescat plus æquo febrilis impetus*; undè graviora exurgant symptomata, morbique novi morbo accedant. Idcircò hæc ità *nutritu*, *potionibusque* temperabit, ut quæ febrim ciet materia æquabili moderatâque ebullitione, aut vaporetur tandèm; aut à puriori latice ad oras amota per cribra idonea secedat; quod judicationem vulgò vocamus. De nutritione satìs dictum suprà est. Hæc nisi satis voto faciat; *potiunculæ* interponi poterunt, quæ refrigerent, varieque alterent; ac

simùl

ſimùl alant, ſi conſulendum viribus ſimùl erit. Cavendumque hæc intèr, tùm nequem addamus febri ſtimulum (plura enim ex iis, quæ parvâ ſub mole nutriunt, unà & calſaciunt) cùm nè noxii moleſtique ſimus officio. Quarè aptis intervallis, medio nempè cibum intèr potumque tempore, & minutulis hauſtibus, vel ex cochleari, exhibendæ erunt. Quocircà nequeo ſatis indignari actuoſam illam quorumdam oſtentationem, qui noctuque diuque, Ægro imminentes nullo ceſſant momento temporis, quin faſtidienti quidpiam ingerant; quà odiosâ ratione ſtomachum, nutritionem, medicinamque ſubvertunt.

Fit aliquandò ſive ex nativâ febricitantis imbecillitate, ſive latenti aliquâ ex causâ; aut quia caſu aliquo plùs ſanguinis detractum ſit, quàm oportuit; aut plus quàm oportuit ſoluta medicamento alvus, ut febriens ſanguis quaſi reſidat, neque ſatis aſſurgat, undè ſeſe extricet à noxiâ alienæ materiæ confuſione. Tùm rectè febris extimulatur calfacienti aliquâ potione, quæ ſuppetias ferat languenti: eo tamèn pacto, ut ne poſitos fines tranſiliamus.

Potionum mixtionumque id genus, apud quoſlibet Authorum uberrimè extant exempla. Ipſe

Ipſe nihilominùs *unam alteramve* ſubdam, ut quas eo nomine intelligo, ſignificetur. Fiunt maximè ex iis Aquis, quæ Stillatitiæ nominantur; quòd ab expreſſo ſalubrium plantarum ſucco, ſeu potiùs affusâ liberalitèr iiſdem plantis aquâ, ſubdito igne guttatìm ſtillant; quæque ad ſpeciem magis, quàm ad Ægrotantium utilitatem apud medicinarum Opifices, in pictuɾatis, circùmque poſitis in ſeriem Amphoris toto anno ſtagnant. Imbuuntur, medicanturque hæ ipſæ Aquæ cancrorum teſtis, cryſtallo, coralio, margaritis, aliiſque ejus generis in pollinem tritis; itèm & ſalibus è cinere uſtarum plantarum lectis; adduntur que, quæ eòdem ſpectent, ineantque unà cum palato gratiam vel Syrupus aliquis, vel aliqua è magnificis illis noſtris Confectionibus, vel etiam Saccharum. Ideo, ſi refrigerare, moderarique æſtum conſilium ſit, præſcribes è lactucâ, vel intubo, vel paluſtri lenticulâ, vel ejuſmodi quâpiam herbâ ſtillatæ aquæ uncias quinque; cancrini pulveris victoriatum; ſalis ex uſtâ ambubejâ ſcrupulum; flor. violarum ſaccharo conditorum denarios quinque; ut omnia ſimùl miſceantur. Si quid movere calfacere, vireſque reficere mens eſt, recipies tan-

tum·

tumdem aquæ ex malo citrio, aut rosâ, aut aurantii flore ſtillatæ; ſeu mavis, ex nepetâ, citragine, abſynthio; ex quâcumque nempè harum; addes aquæ lacteæ ex cinnamomo prolicitæ ſemiunciam; margaritarum victoriatum; ſalis è cinere abſynthii ſcrupulum; confectionis inodoræ Kermes, quam vocant, ſeu hyacinthinæ denarium; ſyrupi è cariophillo hortenſi, aut citrii cortice quod guſtui ſatis erit; quibus unà liquatis mixtiſque condies potiunculam. Hujuſmodi mixturas minuere, augere, magis minuſve diluere, ſibique diverſimodè accommodare liberum Medico eſt; Si modò rerum, quotquot accipit, facultatem, modumque ſolerti proportione diſtribuat; ſeu adſtringere etiàm, aut lenire opus; ſeu ſimùl quoque Capiti, pectori, ſtomacho, renibuſve medendum fuerit: Et, quemadmodùm diximus, non licentèr, ſed exiguis hauſtibus, vel ex cochleari ſorbillandas indulgeat.

Equidèm compoſitis iſtiuſmodi parciùs utor, qui amantior Simplicium ſim. Sicubi hæc non ſunt ad manum, eò confugio. Sic, quò refrigerem, victum paro magis dilutum, magiſque refrigerantem, incoctis in eo, vel acetosâ vel intubo, vel compari quopiam olere.

olere. Id ni ſatis reſpondeat, Ptiſanam vel Aquam, loco egelidæ, frigidam medio in ſpatio interpono; nùnc meram; nùnc ſale, cui nomen prunellæ, aut limonii ſucco; aut etiam (ſi intenſius incendium eſt) ſpiritu, quem vocant, vitrioli, vel ſulphuris medicatam. Quandoque tuſis, expreſſiſque in eamdem aquam, quæ refrigerant, ſeminibus; papaverinis quoque, ſi iis opus fuerit; addito eodem ſale prunellæ, & ſimili facultate Syrupo, ſiti atque ardori proſpicio. Si minus convenire hæc videantur, aliò me converto. Atque eamdem refrigerandi vim habentia ſubter, donèc rem perfecero, infundo; quòd æque refrigerant tùm ſuopte vapore tactuque, cùm utique ſubducendo revellendoque materiam. Quò verò excitem ſubſtineamque vires, alimentum alternari præcipio per breviora intervalla; ſic, ut binâ quâque orâ nutriam. Vel ſi ternâ quâque alere perſevero, hauſtulum mediò fermè tempore præbeo aquæ frigidiuſculæ, cui affuderim ſeu roſæ, ſeu ceraſorum Spiritus, ſeu lacteæ cinnamomi momentum. In iis autèm, quæ adeò pervulgata, & penè quotidiana ſunt, cancrinis teſtis, cryſtallo, margaritis, aliiſque quorum nupèr meminimus,

mus, morosus frigidiorque aliquantò sum; nàm de eorum utilitate, utique in febre, nihil adhùc certi statuit experientia: ratio contraria suadet. Hincque est, quòd suspicer, citeriores Medicos isthæc invexisse in febris curationem, non tàm utilia ut afferrent, quàm ut nocentiora exturbarent. Etsi non ignoro, quòd esse interdum locus & iis potest; & esse, ubi utilia evidentissimè deprehenduntur. Quod nec latuit Antiquos quorum improbo labori, sagacique industriæ, nihil aut parum est, quod non Posteri debeamus.

Ceterùm curatio ferè tota *binis hisce* concluditur: *rectâ nutritionis ordinatione*; *tempestivoque ac prudenti usu illorum quinque*, quæ narravimus, *principum Artis instrumentorum*. Bina verò, rursùs, uno comprehenduntur, *vigilantiâ* nimirùm ac *sedulitate* Curantis. Quæ si desit, reliqua quot & qualiacumque frustrà erunt. Neque enìm benè consultum dixeris actæ procellâ Navi, agitante nugas procùl à clavo Gubernatore. Cui contrà assideat Medicus, vel minimùm ab eo recedat, benè utique sperandum est. Namque assiduum (si Artifex est) nihil eorum fugiet, quæ notari providerique opus sit: eâque industriâ rem mo-

derabitur, modò aliquid occupando removendove, modò addendo ſubtrahendove aliquid, ut perducat tandèm ad ſalutarem judicationem. Vel, ſecùs ſi ceſſerit: victus vi morbi, qui perierit, non proditus Medici negligentiâ dicetur.

Sunt qui, ſimùl ac proximi judicii comparent notæ, *calfacientibus* nutriunt, adjuturi, opinor, Naturam excutere onus jam meditantem. Indè ſcilicèt capto argumento, quòd ſæpè illa conſuevit, intèr aggradiendum id operis, aliquomodò commoveri. Id equidèm haud improbarem, ubi langueſcere, neque id quod conatur, poſſe perficere eam viderem. Aliàs abſtinendum rerer: ob id ipſum, quòd, cum ſuâ illa ſpontè excandeſcere antè ſoleat, ut non egere ſtimulo palàm eſt, ità verendum meritò eſſet, nè currentem, ultrà impellendo, præcipitem ageremus. Et ſanè animadvertimus, reſidentem eam turbam, quam ſeſe relevatura ipſa ultro ciit, excipi ſenſim æquabiliori motu, qualis fermè neceſſarius eſt, ad æquabilem atque utilem materiæ ſecretionem. Quapròptèr ſub inſtante judicio ad ejus uſque perfectionem, nihil medicè moliendum; ſed, victu, potu præſertìm, tem-

tempeſtivè oblato, ſpectatoris vicem exhibere Curantem abundè eſt.

Sunt quoque qui *multâ calidâ*, ut quidam, qui *multâ frigidâ* provocent, quæ propè abeſt, judicationem; ſudorem, eâ ubertìm ingeſtâ, moturos ſeſe ſperantes. Providentiſſimè id quidem fit, ſi indiciis ullis ſe redempturam, moto ſudore, Natura promittat. Sin alitèr ſit; non ſatìs tutò laceſſieris invitam.

Quia verò de *certis diebus*: quibus acuti morbi judicari creduntur, magna Medicorum ſolicitudo eſt; nilque habent ex iis plurimi priùs, quàm ut accuratè religioſèque numerent, *quartum*, *ſeptimum*, *decimumquartum*, *alioſque illos*, quos ipſi pulchrè memoriâ tenent; utpotequi putant (vel ità videri volunt) ab iis, benè aut malè numeres, maximè pendere curationem; eâ de re quid ego ſentiam, liberè, ut ſoleo, pronunciabo. Et ſanè finiri ſæpiſſimè Acutam Febrem per excretiones unam & alteram, & plerumque ferè omnigenas, nemo, reor, negaverit, qui non fidem oculis ſimùl neget. Id contingere certis diebus, *quarto*, *ſeptimo*, *decimoquarto*, *ceteriſque*, quos ab injuncto munere appellant, *Decretoriis*, id verò negant non pauci tàm ve-

terum, quàm hodie viventium Medicorum. Quod enìm ajunt, ut commento fidem adstruant, *ſeptenario numero* gaudere Naturam, Pytagoreum omni ex parte eſt. Ceteri, qui ejus diſciplinæ non ſunt, non tàm in rebus phiſicis authoritati, quàm rationi acquieſcunt. Neque Numerus aliud porrò eſt; quàm exterius quoddam ſignum, quod poſitæ quidèm rei ſeriem locumque notat; cum rei naturâ nihil commune habet: neque plus dignitatis ſibi debet Septimus arrogare, quàm reliqui ordinales numeri, qui ſinguli ipſiſſimum munus præſtant, quod ſeptimus. Illud verò, quod addunt, *ſeptimo menſe* edi vitales fœtus: Id ſane, non à numero, ſed à Fœtus maturitate eſt: qui poteſt in valenti Fœminâ ad id temporis ità maturuiſſe, ut excluſus vivat; Cum aliàs ab infirmâ imbecillâque Matre ſeptimeſtres plerique pereant. Verùm id prudentiùs præteriiſſent; cum videant, in magno humani fœtus negotio, præ Septenario, Novenarium, Denariumve elegiſſe Naturam. Menſe autèm infantiæ *decimoquarto*, *altero* nempè *ſeptenario*, prodire primos dentes: Anno *ſeptimo* excidere natos, renaſci novos; erumpere demùm quoſdam alios: Anno *decimoquar-*

quarto pubeſcere Pueros, repurgari Puellas; demonſtrare debent ii, qui aſſerunt, nùm id omne verum & perpetuum ſit. Notum ceteroqui vulgò eſt, dentire ac pubeſcere Pueros, pro ſuo quoſque habitu, modò tardiùs, modò maturiùs, nullâ ſervatâ *ſeptenariæ* ejuſmodi *neceſſitudinis* ratione. Sed nec fortunatiùs in Cœlum ſcandunt: quamvis *Lunam* nihil tale cogitantem hìnc illìnc violentèr diſtrahunt ac torquent; quoàd ſuis ſubſervire ſomniis eam cogant; tandèmque decretoriorum dierum causam, velit, nolit, ſe fateatur. Ludicra profectò iſthæc, ut quàm queunt ornatiſſimè comminiſcantur, Cælum terramque, & quæ cum ratione experimentiſque pugnent, miſcere non verentur. Aſſerunt enìm humidorum Corporum poteſtatem penès Lunam eſſe. Quæ illi ſi eſt; à Sole certè eſt. Nàm dùm ſilet illumina, Corpora tùnc omnia ſicceſcere perhibentur; eaque causâ Cancri & Conchylia ſolent tùm temporis minùs appeti; Ligna autèm è Sylvis, ad fabriles uſus, utiliùs decreſcente Lunâ cædi creduntur. Nihilotamèn minùs; quia Lunare Lumen dividi non poteſt tot in partes, quot cum ſuorum dierum numero componi facilè queant; poſthabitis effectibus, ef-

fectuum-

fectuumque causâ, undè Lunæ in humida corpora dominatum quoquo modo persuaderent; aliò se declinant, ad lunarem scilicet eum Mensem, qui inter Lunæ cum Sole conjunctionem, subsequentemque conjunctionem comprehenditur: non aliâ omninò ratione, quàm, quòd hic septem & viginti, suprà horas octo, constat diebus; inque tot partes commodùm distribuitur, quot decretoriis diebus perbellè respondent, juxtà Lunæ ad duodecim Cœli signa, quæ quartâ quâque die finguntur, aspectus. Verùm ab aspectu Lunæ ad Cælestia signa, quî humores terrestrium Corporum movebuntur, quorum incrementum, decrementumque sub majori, minorive illius lumine animadvertitur? Quàm in Naturâ vim habeant ficti ex hominum libidine, aliosque prorsùs in usus, illiusmodi aspectus? Non est tamèn, cur adversùs *fabulam* seriò disputemus, quam ipsi ejus Authores dubitant nùm tueantur. Etenìm, cum *insciam* ejus rei cognoscant *Lunam*, subjiciunt, quartâ quidèm, & septimâ quâque die humores corporum commovere illam, frustrà tamen conari; hi si reluctentur, atque expediti idoneique decretorio motui nondùm fuerint. Quìn, quùm acuti morbi dies in *Decretorios*, *Indices*, *In-*

Intercidentes, *Vacuosque* diviserint; noverint autèm nullo non die judicari subindè morbum; *alios* quoque *omnes* posse non raró *decretorios* fieri concedunt. Nè tamèn dare veritati manus, aut à disciplinâ deficere videantur; unum adjicere satis habent, *infidam imperfe-ctamque*, *sæpè etiam exitiosam esse aliorum judicationem*; tanquàm si iis, quos ipsi habent prò verè decretoriis, non idem quoque contingeret.

Hìnc facilè erit conjicere, quid ipse opiner de eâ, quam acutis in morbis Veteres tribuerunt certis non tàm diebus, quàm dierum notis, potestate. Quam à *Pytagoricis* ortam *Numeris* persuasionem anceps rei proximitas stabilivit. Nàm febris acuta ferè omnis, alia citiùs, alia seriùs, circà eos dies, quædam etiàm iisimet ipsis, judicatur. Quod postremum si incidit, non indè est, quia insit numero arcana quæpiam necessitas; sed quia incongrua sanguini materia, febrili ebullitione secreta, eâ tandèm die despumari apta sit: sìc ut hujus excretio *tertiâ*, *quartâ*, *quintâ*, *sextâ*, *nullâ* denique *non die*, æque, ac *septimâ aliisque principibus decretoriis* possit contingere; prò minori nempè majorique copiâ, pròque mino-

minori, majorique cruditate ac tenacitate materiæ, quæ digeri despumarique febriendo oporteat. Qui verò pereunt, non *dierum*, quarti, septimi, decimi quarti; sed *morbi* sævitiâ pereunt. Etenìm ea est humanæ sortis communis virtus; ut morbum acutissimum non ultrà *tertiam*, *quartam*ve ferè *diem*; peracutum, non ultrà *sextam*, *septimam*ve; non æquè acutum, sed utique excedentem, non ultrà *decimam quartam* queat differre: ut tamèn robustiores, siqui sint, *tardiùs* se dedant; *ociùs* imbecilliores.

Idem de eo, quod prædicatur de *paribus imparibusque diebus*, esto judicium; cum & id ab eodem pytagoreo fonte dimanet: Nec ratio ulla sit, quare *impar pari* præferas: *Illud* jure suo judicet: *hoc* non suo: siquandò autèm judicet, recidivum fore morbum metui oportere. Nàm, quæ de imparis, præ pari, dignitate effectuque memorantur, nugæ sunt, quæ rebus nihil addunt vel detrahunt, sive hæ pari, sive impari numero comprehenduntur. Quod verò ajunt eâ die judicari febrem, quâ exacerbatur; *exacerbari* autèm *diebus imparibus*: id de Tertianâ continuâ aptè dicitur, quam ità judicari suapte naturâ *non* verò *imparitatis* causâ necesse est. Sic enìm eidem intermittenti

acci-

accidit ; ut nonnisi in accessionum aliquâ judicetur; neque, nisi hæc esset, judicaretur. Idque idem, eâdem ratione, haud minùs verè dici, opinor, de aliis, siquæ sunt, Continuis (esse autèm subindè observavi) quibus extrinsecùs, ab stomacho nempè intestinisque, per lacteas, quas vocant, venas, nescioquis exacerbationum somes identidèm & certâ temporis intercapedine transmittitur, sic fermè, ut iis, quæ intermittunt, fieri videmus. In ceteris, uti nullæ sunt exacerbationes; ità nec parium erit, nec imparium habenda ratio. Sed unicè attendendum, nequo aliundè errore febris exacerbetur.

Istud de *diebus decretoriis*, *paribusque ac disparibus* antiquitatis commentum ab *Hippocrate*, minimè nugaci homine, ad Posteros transmissum ipsâ tanti Authoris fide diù stetit. Donèc libera hominum ratio pertæsa servitii ulteriori observatione comperit, nihil firmi perpetuique esse eâ in re. Atque exindè famosos illiusmodi dies penè delevit oblivio. Rursùs tamèn illos in Medicorum memoriam magni Vir nominis *Galenus* longo post tempore revocavit. Qui ab græcâ Asiæ Urbe Romam advena, ut intèr, quos reperit, Medi-

cos, amotâ personæ novitatisque invidiâ, faciliùs eluctaretur, alienam vetustissimamque, nullique non ætati probatam, Hippocratis nempè, Disciplinam professus præcipuè est; quâcum necessariò & *dies illi* consequebantur. Potitum rerùm Galenum sequuti *Successores* per omnia sunt. Quoàd erupere *Arabes*, qui Galeni libros interpretati, unà cum ejus Placitis *eosdem illos dies* arripuerunt. Multòque magis, qui ineunte sæculo decimo sexto indignati Arabum magisterium eorumque licentiam, quòd ipsi scrupulosiùs & veluti dicto sacramento Galeni sensa atque verba adamussim sectarentur, *Galenicos* se nominarunt.

Intereà temporis tàm altè insedit omnium vulgò animis istiusmodi dierùm vana supputatio, ut paucis admodùm eam absque imperitiæ notâ negligere, vèl nostrâ hâc ætate, licitum sit. Plures nàmque Medicorum eâdem illâ etiamdùm negociantur; atque digitis, quod facillimum factu est, nescio quid enumerando, arcanum quidpiam scire se aut facere ostentant; cùm re verâ nihil penitùs sciant aut faciant. Sed Populum tamèn eâ operâ, dùm ludificant, in admirationem sui rapiunt. Tametsi huic dierum considerationi suus esse

usus

usus quandoque potest. Siquandò enim Ægrotans ipse vel Familiares intempestivum quid odiosè efflagitant, nullâ magis ratione importunitatem compescat Medicus, quàm si coarguat, *desistant velle quod fieri die nefasto minimè omnium licet.* Usque adeò mirantur ignari inane mysterium! Eodemque patrocinio atque obtentu multa alia, si sapiat, commodè poterit nùnc differre, nùnc occupare. De cetero nullo in numero habendi dies sunt, qui qualesque cumque ii fuerint, ubi quidpiam fieri fuerit necessarium: *Neque, ut vana servemus, tradendus Æger suo malo est.*

Judicatâ jam, aut quomodocùmque victâ finitâque febre, boni Medici erit, providere, nequas deinceps turbas de novo cieat, neu quid relinquat incommodi, molestæque valetudinis. Quo proviso; nedùm citò, atque ad integritatem, sed eo pacto convalescat qui ægrotavit, ut in posterùm, fieri si possit, quòd ægrotaverit in lucro ponat. Hippocrati quidèm videtur, *judicato perfectè morbo, nihil esse ultrà movendum*; cum moneat alibi, *nihil relinquendum*, ex eo esse, undè ne sit recidivus, metuamus; *purgatione verò opus habere, qui post morbum ab aptâ nutritione*

ne vires non reparet. Hæc experientiſſimi Artificis monita tribuenda ſuo loco ſunt. Neque enim eſſe dubium ulli poteſt, nullis ſuperſtitibus morbi reliquiis ceſſandum omninò eſſe. Non raró tamèn incidit (quod & ratio ſuadet, & paſſim confirmant experimenta) ut per febrem ſucci, qui ferri ad Ventriculi munia ſolent, impuri immixtique alienis particulis ebulliente è ſanguine tùnc ſecretis illùc appulſi ſtagnent; undè quæ ingeruntur per id temporis alimenta, accedente ipſius Ventriculi imbecillitate ac ſubverſione, magnâ ex parte corrumpantur in crudam vitreamque (ut vocant) pituitam converſa, atque ibi unâ ſubſidant. Hinc *ille*, opinor, *quorundam mos* eſt, qui Infirmum non dimittunt, quìn priùs purgent. Equidèm ut non omnes purgandos cenſeo, niſi anteà probè conſideratis Ægri proprietate atque habitu, tùm affecti Ventriculi argumentis; ſic morbo fatigatum atque adhùc languidum ad aliquot dies eſſe quiete ac nutritione reficiendum judico, necui novo periculo objectem vix dùm ſecurum, aut ſecuritatem differam feſtinando. Quòd ſi ſtomacho ità laboret, ut ſubito egeat auxilio, protinùs purgo vel dato cum gummi ammoniaco aloè, vel alio

alio ad id utile medicamento: Sæpè etiam (si purgari per superiora præstet) ingestâ grandi copiâ tepentis aquæ, in quâ silvestre Cichorium, aut Cnicum silvestre, quod Carduum benedictum vocant, decoctum sit. Quoniàm ubi eligendi temporis potestas non est, optimè omnium præsens arripitur. Si autèm nè id quidèm sinunt demissæ vires, decoctâ centaureâ vel absynthio, aut sale quopiam ex iis, quæ incìdunt digeruntque, quotidiè bis atque apto loco exhibitis, unà cum idoneo ad id alimento, detergere Ventriculi sordes curo. Tandiùque in hoc sum; quoùsque, vel minutatim perfecero id, quod vomitu seu dejectione semèl aut bis institutis perfecissem: vel eò hominem deduxero, ut à purgatione, sive sursùm sive deorsùm, esse metus non amplius possit.

Tametsi autèm, quam hactenùs proposuimus, *Acutæ Continuæ* curandæ ratio ad qualemcumque ætatis sexique differentiam aptari traducique minimo negocio potest; nonnulla tamèn, quæ ad *Mulieres* propriè spectant, ut id quoque delibemus, hìc subjicere visum est. Generatìm ergò mitti sanguinem *liberaliùs* Mulieribus (sicui convenit) quàm Viris licèt; quippèquæ, minùs, quàm Viri, corporis men-

mentiſque exercitationibus abſumuntur; eamque aliàs Medicinam familiarem à Naturâ habent. Quamobrem Acutâ Febre laborantes detracto ſanguine aptè curabis; adhibitâ tamèn in iis quoque providi Artificis cautione. Nàm, ſiquæ ſubſunt indicia inſtantium menſtruorum, *abſtinebis*; cum hâc Medicinâ, quam imitari artis prudentiâ facile non eſt, morbi ſæpè fœminei judicentur. Ejus rei plura eſſe ſolent argumenta, quorum aliqua tute prænoſces, pleraque ab Ægrotante reſciſes. Vel ſi delira fuerit; contemplator delirii genus. Quod cum procaci hilaritate eſt, menſes propè adeſſe ferè prænunciat; quia fortè prurientia ſub turgeſcente motu naturalia neſcioquas ſursùm elevant voluptatis imagines. Scire tamèn, quò ſuam benè ineat rationem, oportet Curantem, quæ intèr febrem erumpunt, menſtrua, maturata febrili motu, aliquot ſtatum tempus dies antevertere conſueſſe: Quibuſque id accidit, morbum citrà periculum plerumque eſſe. Nàm qui poteſt, dùm febrit, ſic erumpere ſanguis, non longiſſimè porrò abeſt à ſanitatis conſuetudine; & nec expanditur diſtrahiturque violentiùs, nec violentiùs in gyrum pellitur. *Abſtinebis* quoque in iis

quæ

quæ ex utero laborant, eâ nimirùm præcipuè de causâ, quòd imbecillo infirmoque ſunt habitu; has enim detractione ſanguinis *magis infirmabis*: Neque aliud Mulieres uterinis affectibus æquè facit obnoxias, ut *imbecillitas*: quam, ſuprà morbum nativamque conſtitutionem, augere Medicum, flagitium foret. De turbandâ medicamento alvo, idem eſto judicium; cum vires pro ſuâ parte, & illud ſubtrahat, nec ſine irritamento efficiat, quidquid efficit: quæ verò utero conflictantur *irritabiles* mirè ſunt. Quapropter ſiquidèm opus fuerit dejectione, eam inſtitues leni admodùm Medicinâ: ſtatìm deindè, poſt effectam rem, exhibito papavere ſedabis turbam, ſiquam commoveris. Id ipſum facito poſt vomitum, hunc ſi provocaſſe præſtiterit. Imò per totam ſubindè febrem; ſi uterum (quod nonunquàm fit) commota acris materia irritet. Quià verò quædam *ſuavibus*, *inſuavibus* quædam percelluntur odoribus, uniuſcujuſque habitudinem explorari antè oportet, quò per tempus proſpicias. Universè, conſultum fuerit *odorem omne genus à Mulierum curatione* longè amovere, earum præcipuè, quæ uteri faſtidiis exerceri prænoveris. Quid cum *utero gerentibus*, quid *cum*

Puer-

Puerperis, ſiquandò Acutâ febre corripiuntur, agendum ſpeciatìm ſit; ſupervacuum eſt, ut multis perſequamur; cum rei Medicæ Scriptores paſsìm fusèque doceant. Summa eſt, ut, *altero in caſu*, Matris incolumitas incolumitati Fœtus conjuncta cum ſit, utrique adhibito ſudicio ſubveniamus; & ne, commune quod eſſe debet, per temeritatem ſcelusque ſeparemus: *in altero*, ut curemus (quod præcipuum eſt) Loci ut ritè fluant; ſicque febrem moderemur, ut nè vel nimiùm fundat, vel nimio impete ſecum rapiat divertatque quod purgandum foràs eſt. Si verò *Ventris fluor* ſimùl intererit, ſubſtinendus cautè eſt; Nàm quodcunque comprimit Ventrem, idem comprimit & Locos; neque aliàs is ſempèr fluxus perniciem infert; cum ſæpiùs hâc viâ unà purgentur, quæ purgarentur anticâ. Ceterùm id cum incidit, Medici rationes conturbat omnes odioſa Familiarium, utique Mulierum, trepidatio, quarum vulgò animis inſedit vetus illa opinio, ventris fluxum eſſe Puerperis exitialem.

Atque hæc *de victus ratione in Acutâ Continuâ* dicta ſunto. Quibus ſummam quandam eamque ſatis ordinatam Tyro habet, cujus ductu,

ctu, cum primùm incidit in id genus febrem (quæ, quia ocissimè movetur, vix experientissimis locum dat ex sententiâ deliberandi) nec hæsitet cunctabundus cum malis Ægri rebus, neque hùc atque illùc divagetur incertus, seu, quod pejus multò foret, deerret è viâ, sed continuò, quâ progrediendum, progrediatur. Primò enim habet vetustissimo usu probatam *distribuendæ nutritionis rationem*; quod præcipuum in curatione est, & quo uno multi sæpè magnique morbi curantur. Reperit proximè, *qualis esse Medicus, quæ commoda providere, quæ amoliri incommoda extrinsecùs debeat*; undè instituta ad sanitatem nutritio nullius occursatione offensæ agatur transversa. Tandèm *Curationis ordinem, cautionesque*, tùm *principum Remediorum usum, aliorumque utilium loca summatìm docetur*; ut, siquandò ferat occasio, detracto opportunè, quod superat; quod deest, addito; quod tumultuatur, separato castigatoque, triumphalia denique decernat idoneis atque in loco datis alimentis, quæ periclitantis vires adversùs morbi vim ad usque victoriam securitatemque substinuerit.

Quoniàm autèm victus administrationem in iis, quæ intermittunt Febribus, supra tradi-

dimus; meminimus verò de *intermittente illâ, quam continuam nominavimus*, ubi de vomitu egimus, reliquum jam est, ut harum quoque Curationem nunc subnectamus. Nàm acutas esse eas nemo diffitebitur, quicumque earum labores vehementiamque contemplatur. Quò verò plus habent durationis, plus ad continuas accedere; prorsùsque continuas esse eas, quæ se tantùm vix remittunt, quis non videt? Neque de harum pernicie, quemadmodum & earum, quarum accessiones penè junguntur, securior est experientia, vel fama; si præcipuè paulò negligentiùs imperitâque manu tractentur. Quantumvis ritè habitæ, utut efferatæ, haud grandi operâ mansuescunt. Nàm longiores, sese contrahunt; duplices ad simplicitatem; ad intermissionem redire Continuæ facilè solent; hincque ad omnimodam quietem etiam faciliùs.

Itaque, si *Tertiana* quidèm sit, eaque *simplex*, utile consilium fuerit sinere alterâ vel etiam tertiâ accessione digeri corpus; instituto tamèn prius victu, qualem suprà descripsimus; subductâque, si è re videbitur, diebus vacuis per infusum alvo. Mòx integrum, proximæ quietis die idoneo medicamento purgabis:

gabis : modo nè accessio longior, dirioraque symptomata malint vomitum. Post quartam accessionem, tùm demùm *Corticem Peruanum* ex vino albo, in quo illum aliquandiù maceraveris, exhibebis; vel etiàm ex aquâ seu fontis, seu aliquâ stillatitiâ, si conducere magis aqua videatur. *Corticis* modus *denario* aptè finitur (scire autem licet id genus febrem quinto plerumque denario vinci). Mane, quartâ antè; vespere, quintâ post prandium horâ illum offeres. Bihorio post, cœnam permittes; à cœnâ somnum. Altero mane, quintâ antè accessionem exhibito cortice, sub febris declinatione aquam liberalitèr ingeres, quò moto sudore (moveri nàm solet) accessio finiatur. Hâc finitâ, fatigatum jusculo reficies. Exindè post binas horas corticem iterùm dabis. Post binas alteras, denuò jusculum. Hinc per noctem dormire sines. Die decimâ, vacuâ & quietâ, corticem ferè ut nudiustertiùs mane & vesperi ministrabis. Undecimâ, idem facito; nàm victâ causâ post sextum Remedii denarium, periit jam accessionum circuitus. *Subsequentibus* deinceps *diebus*, ne febris fortè reviviscat, corticem quotidie bis itèm ingeres, eodem servato intervallo *non* autem *modo*; nàm ad

victoriatum si dederis, abundè dederis. *Post quatriduum* à cortice temperabis, non tamèn à cautà nutritione, eâ præsertìm die, quâ expectares, si rediret, accessionem. Alimenta hæc inter, atque alia civitatis officia restitues, ut *sano, qui elapsus à febre est, & sibi timet à recidivâ*. Altero interjecto quatriduo, iterùm, sed manè tantùm, inculcabis corticem ad *aliquot* etiamnùm *dies*; ut nè malum regerminet: quod consuevit, autunnali maximè tempestate, pessimæ hujusmodi frugis feracissimâ. Tandèm, monitum ut victu temperanti, ceterisque omnibus sibi caveat, iis utique diebus, quos febris occupaverat; neque ulli se objectet frigori (cum *nocivum sit* in primis *qualecumque frigus* ab intermittentibus revalescenti) suæ rationi dimittes hominem.

Hæc eadem *simplicis quartanæ* esse curatio poterit, paucis prò re translatis. Nàm, ubi post alteram accessionem de eâ constiterit, *quintâ die* Ægrum per integritatem *excito*, nisi quid prohibeat, *vomitu* purgabis (cum longè contumacior esse hæc, quàm Tertiana consueverit) sin minùs vomitu, *dejectoriâ* certe *Medicinâ*, *quæ* tamèn simùl *detergat*. Absolutâ purgatione Corticem dabis eâ lege, ut residuo, quic-

quicquid fuerit, quiètis tempore, ter dederis, apto, remedium intèr nutritumque, interposito spatio. *Septimæ* accessionem victu tenui aquâ nempè atque jure moderabere. *Subsequentium dierum* quietem aliquantò pleniori victu, exhibitoque de more cortice transiges. Interciso accessionum ambitu (qui *post earum tertiam*, hanc si institueris curationem, ferè emoritur) sic in posterùm perseverabis, ut dictum in Tertianâ est; *multò* tamèn, quàm in illâ, *diutiùs* atque *accuratiùs*; quoad penitùs exactam, nec reversuram febrim certò compereris.

Siquæ *prægnans Mulier* fuerit curanda, nihil prorsùs traditæ curationis omiseris; *præter* ea, undè abortus timetur, *vomitum*, *alvique subductionem*. Sed ordinato victu, *qui* tamèn *duo Corpora simùl substineat*, corticem omni sepositâ hæsitatione, *protinùs* ministrabis, ceteraque efficies, ut fermè digessimus.

Hujusmodi has febres curandi ratio, paulò fortè longior, cuipiam, videbitur. Ubi tamèn firmiorem tutioremque, quàm sunt ceteræ, usu noverit, omnium, opinor, brevissimam reputabit. Neque enim penelopeam telam in brevitatis compendiique exemplum memoramus.

Sunt

Sunt qui adhuc longiorem capeſſunt viam, dejectâ primum alvo, relictà febre victui tenui, mediis verò diebus ad ſcrupulum, aut ſummum ad victoriatum bis quotidiè dato cortice; ſic, ut ſerò admodùm febris extinguatur. Quod, ſiquidèm per morbi ingenium liceat, ſalviſque fiat Ægri rebus, haud improbem. Nàm victâ eâ curatione febris minimè omnium revertitur. Sed nimia laboris protractio neque honorifica Medico eſt, neque Ægro utilis.

Alii, contrà, ſimùl ac norunt, qualis febris, ſive tertiana ſive quartana eſt, purgato febricitante, corticem *quartâ quâque horà* continuò inculcant; *neque ceſſant*, quoad oppreſſiſſe ſe rentur febrem, febriſque cauſam, ut ne deinceps revertatur. *Quâ feſtinatione nonnulli* quidem *integritati* reſtituuntur: *Alii*, ut liberati febre ſubitò videantur, *valetudinem* tamèn ægrè recuperant; *recidivâ* deindè *vagâque febri* per intervalla retentati, nec niſi poſt longas Medicinæ ambages, variaque patientiæ ſupplicia ſecuritatem aſſecuturi. Proindè ego *id curationis genus aliò transfero*: quò nimirùm præſens laborantis periculum me convertit.

Id-

Idcirco , *ſiquæ febris* , *per Intermittentium dominatum* , cum horrore aut rigore cœperit , ob exuberantem verò materiam *Continentis perſonam* ſtatìm à principio induerit , cum idoneis aliàs argumentis ex *Intermittentium familiâ* eſſe ſignificetur , *qualis fermè eſt*, *quam quotidianam quartanamve ſeu Tertianam continuam* ſuprà appellavimus : Siquæ alia inciderit , cujus *acceſſiones junguntur* , nec *niſi remiſſione diſcriminantur* : Siquæ , *ſpeciem intermittentis* cum ab initio præſetulerit , mòx poſt unam alteramve acceſſionem , ſeu evidenti aliquâ , ſeu minus cognitâ de causâ , *protenditur in continuam* : Siquæ ex iis fuerit quas *ſemitertianas* Veteres nominabant : Si *duplices Tertiana* vel *Quartana* curandæ occurrant , quarum *minima* ſit *intermiſſio* : Si ſubſtinendo labori (quiſquis is fuerit) *impares* ſint *Ægri vires*: Si *animâ* identidèm is *deficiat*: Siquo *alio malo ſymptomate* in metu ſit , amotâ morâ omni , ſtatìm ad *alterutrum* confugio . *Modò* enim inſtituto ſemèl , quandoque , etiam bis , vomitu , vel , ſi agere vomitu prohibeor , detersâ abundè purgante remedio primâ , quam vocant , regione , ad *intermiſſionem* , aut ſaltèm ad *patentiorem remiſſionem* reduco

duco febrem; deindè inculcato *properâ eâ ratione* cortice, quod reſtat efficio. *Modò*, ſi neutrum liceat, vel cunctationis impatiens res eſt, corticem (*poſt acceſſionis incrementum*, aut *ſub ipsâ remiſſione*, ſi remiſſio eſt) *quartâ*, vel, ſi ità expediat, *tertiâ quâque horâ*, omni omiſſo artis ambitu, protinùs ingero, interpoſitis medio in ſpatio, nunc *juſculo*, nunc *potione*; donèc reſide febri quietem revocavero. Expedito *alterutrâ ratione* à periculo periclitante, tùnc demùm *per otium relego* quæcumque omiſiſſe, atque hùc diſtuliſſe neceſſe habui; ceteraque exequor, quæ valetudinem ſecuram ſtabilemque promittant.

Hîc verò incidit illa contrarias in partes Medicorum ſeceſſio: quùm *Alteris*, ut in omni continuâ, ità in omni intermittente febre detrahere ſanguinem ſolenne: *Alteris*, in curatione intermittentium vel cogitare de mittendo ſanguine religio ſit. Utrique ſanè, & qui mittunt ſanguinem, & qui parcunt mittere, ſuos ad ſanitatem perducunt Ægros. Sed experimentis rationes ſunt aliæ aliis. Ne tamèn ſanguinem in febre intermittente temerè mittamus eo præcipuè monemur, quòd ii, quibus non mittitur, faciliùs citiùſque convaleſ-

lescunt. Alteri, contrà, post missum sanguinem, ab intermittente, quæ simplex erat, sæpè in duplicem; à duplici sæpè in continuam periculosamque aut certè difficilem conjiciuntur: Propulso, fortassis, in lacteas alternâ musculorum abdominis pressione concluso in intestinis aere, abreptoque intrò cum eo febrili succo; qui, dempto sanguinis, dùm mittitur, libramento, in missi locum ex naturali liquorum necessitate, non quidèm pauxillatìm statoque tempore, ut aliàs faceret, sed confertìm jugique, quantum potest, flumine ascendet, donec repleat ad libram. Siquandò nihilominùs ea febris cum plenitudine incidit, tum *generali* detrahendi sanguinis *ratione* rectè utimur, ut, quæ fieri à plenitudine suprà memoravimus, incommoda prævertamus; Modò nè id tentemus *dùm Febris maximè urget*. Namque hùc referendum præceptum est, quo vetamur *in ipso febris impetu* sanguinem mittere, nè scilicet intempestivo remedio hominem jugulemus. Hìncque petenda ratio est, quarè *sanguinis missio* sæpè exitialis deprehendatur *in Intermittentibus continuis*; quas Romano in tractu declinante ad autunnum æstate, perque autunnum ipsum sparsìm intercurren-

tes, à minùs animadversâ ſpecie, malignas appellat vulgus. Quamobrem in eâ, quæ intermittit, *intermiſſionem*; in eâ, quæ remittit tantùm, *remiſſionem* conſultè expectabimus. Tametſi, neque, ſi non mittamus, metuendum à plenitudine adeò eſt; cum illius noxam differant abſtinentia, victuſque tenuis; peruanus cortex in totum occupet.

Si autèm in Continuis *perſpicaciâ*, atque *aſſiduitate*, quam totiès commendavimus, opus eſt, *eadem* in intermittentibus præcipuè omnium deſideratur. Nàm vix alium invenias morbum æquè imperioſum moroſumque: qui nec Solem metiri ſibi diem; neque crepuſculis concludi patitur; ſed ipſe pro arbitrio efficit, finitque ſibi diei terminos. Itàque ubi dies, tertium, quintum, reliquoſque ex ordine notavimus, nè *eos* intelligant, *qui Solis*, ſed *qui febris circuitu* terminantur, quicumque febricitanti miniſtrant; atque inde alimenti, medicamentorumque tempora ſibi præſtituant; ſive interdiù diſpenſari illa oporteat, ſive intempeſtâ nocte, ſive mane, ſive ſerò. *Caveant* verò, *nequid errent*, aut Medicus, Adminiſtrique, aut ipſe Febricitans; nàm *illico prodet errorem*: eouſque delicati faſtidii eſt! At-

que

que ex facili, *brevis* quæ fuit, *accessio in longam porrigitur*, *duplicatur quæ simplex erat*, *quæ duplex continuatur*; auctisque, pro errorum causarumque modo, symptomatibus excandescit, degeneratque. Solet id oppidò multimodè usuvenire. Sed *stragulorum nimiùs calor*, *seu non in tempore sumptus cibus potusve* non postremæ causarum sunt, quarè Corticis efficacia laudesque corrumpantur, ut vel diminutè efficiat quod consuevit, vel ex toto frustrà sit. Quam subversam, alteratamque morbi rationem intentâ posteà sedulitate, atque ad contraria te convertens in pristinum ordinem vix repones. Est prætereà non rarò, quòd Ægrotans minùs dicto audiens se longo implicuerit negotio. Est etiam, quòd Medicus curationem instituerit habitui, ætati, consuetudini febricitantis neutiquàm congruam. Unde accessiones vi corticis *intercìdat* quidem, febrem tamèn *radicitùs non extinguat*: Quæ scilicèt, quem corripuerat, hominem, ut protervia est, nùnc *vagis desultoriisque intervallis*, nunc *ad alterna* aut *quotidiana* recurrens *diu* trahat, atque *ad annos* quandoque exerceat. Sic exercitum provocato bis vel etiam ter vomitu; & siquâ possis tùm aptiori viâ, tùm novitate re-

mediorum, tentabis restituere. Accerses, igitùr, salia cinerum, gentianam, chamæmelum, minorem centauream, trixaginem, aliaque his conformia, quæ detergunt roborantque ventriculum, febrisque causam, qualiscumque est, perindè atque Cortex obruunt & subigunt. Neque seciùs idoneo victu, quo vires reficias ac toleres, vino præsertìm, tempestivo somno, animique tranquillitate hæc intèr pugnabis. Si parùm hisce profeceris, proximum est, ut submotâ omni curationis molestiâ *rationali victui, quietique ac tempori* eum dimittas. Fit enim, quod spatio ipso protritus morbus, vel *sub brumâ*, vel *vere novo* sensim evanescat. Empirici, sicubi offendunt in ejusmodi, quæ veteravere, Febres, *minerali*, quod vocant, *turpeto* statìm aggrediuntur, immanique vomitu expeditâ re prudenti Medicorum cunctationi per insolentiam illudunt. *Tusum* verò *allium*, vèl *pratensis ranunculi tusa radix* interiori brachio, supèr ipsâ saliente arteriâ adligata in *diutinâ quartanâ*: itèm *Rosaceæ stillatitiæ cyathis tribus commixtus limonii succus, bis tèrve*, proximè accessionem, sùbque ipso incipiente rigore sumptus, experimentum vulgi est.

De

De ceterò (bonâ veniâ me audient qui alitèr ſentiunt) nulli mortalium ſatìs perſpecta uſque adhùc Intermittentium Natura eſt : nulli cognitum undè ſit admirabilis ille earum ordo: nulli ſtata illa circuituum ratio : nulli , ſeu prorsùm , ſeu rursùm , certa illa & veluti condicta reverſio . Id ſi ex Dei , optimi , maximi beneficentiâ olìm innotuerit , tùnc fortaſſis Febrium omnium naturam (unam eſſe omnium nullus dubito) ſerieſque innoteſcet ; ut penitiùs intellectæ rectiùs quoque curentur . Equidem mecum , quaſi ſomnians , ſuſpicatus aliquandò ſum , numnè diariæ ſint unica aliqua quotidianæ vel tertianæ acceſſio : Continuæ verò (quæ laborantis alicujus partis non ſint effectus) numne modò ex productâ diariâ ; modo ex productâ quotidianâ ; modò ex multiplici tertianâ ; modò ex quartanâ multiplici componantur : occultentur autèm Medicorum oculis , confundanturque ipsâ morbi continuitate ſymptomatumque tumultu ; ipſarum verò , quæ videtur varietas , non à variâ cujuſque naturâ ſit , ſed à variarum conditionum concurſu ? Eam mihi ſuſpicionem magis adhùc auxit , quòd poſteà offendi , nonnullos etiam è vetuſtiſſimis Medicis ferè

idem

idem fuisse antiquitùs suspicatos; quia observassent, adeoque asseverarent, nullam febrem esse inordinatam. Verùm sunto hæ species somniantis: atque intereà secundùm ea, quæ comperta usu sunt, curationes nostras instituamus.

Itaque Intermittentium negotio his paucis comprehenso, reliquum est, ut de *famoso* adversùs eas præsidio, quem toties memoravimus, *peruano Cortice*, nonnulla seorsùm subjiciamus. Quo nomine vocetur patrio in Solo Arbuscula, ex quâ delibratur; undè; ex quo; qui primi ad nos advexerint; quo exceptus rumore primùm fuerit; quò deindè horrore metuque repulsus; quo rursùs Nostratium commodo revocatus; quibusque denique fortunæ vicibus usus, fusè apud Alios reperitur. Anne peregrino remedio, aliquod simile, parque progignant nostrates Campi vel Silvæ, nondùm comperimus. Ea namque desidia nostra est, ut miremur potiùs transmarina vocabula, quàm, antè pedes quæ fortè sunt, circuspiciamus. Quotus enim quisque Medicorum minoris Centaureæ, Gentianæ radicis, Cupressi nucum, quò harum constabiliret usum, tot fecit pericula, quot perua-

peruani Corticis facta sunt? Numne multa supra ea, quæ à Majoribus accepimus, Minores conquisivimus aut reperimus? Expectamus scilicet, ut sua mittant Antipodes, nostræque advigilent Barbari valetudini. His tamèn missis, dubium nemini, puto, est, insigne auxilium, quodque in primum principum ordinem sit referendum, attulisse nobis *eximium istum Corticem*; quo sanè plures, tùm exitiales, tùm gravissimæ ægritudines vel prævertuntur vel expugnantur. Non modò enim, quas diximus, Febribus; sed *nervorum* quoque *membranarumque distentioni* mirè medetur. Unde *stomachi*, *ventrisque inflationi*, *tentato spasmis utero*, *eique Colicæ*, quæ desinit in miseram artuum resolutionem, præsentissimum remedium est. *Huic atrocissimo morbo* ex aquâ stillatitiâ aut vino adhibitus, eâdem denarii mensurâ quâ febri, alvum (quæ contumacissimè adstringitur, ut neque purganti ulli potioni neque infusis ullis auscultet) subito impete plerumque resolvit; quo dirum tormentum protinùs discutit. Neque, si id non efficit, minùs prodest. Rem mihi olim *casus* ostendit *notatu dignus*, cum enim aliquandò, quam aggrediebar, *Tertiana* post binas accessiones *in*

Co-

Colicam dilapſa eſſet, atque *ex Colicâ* rursùs exiliiſſet *Tertiana*, quæ ſtatìm ab alterâ acceſſione, *iterùm* exciperetur *à Colicà*, ſubiit conjectare, nùm *eadem utriuſque mali natura* foret & *Cauſa*; nùmque poſſet uno peruano Cortice utrique proſpici? *Tentamen* egregiè *reſpondit*. Traductum poſteà ad *alias Colicas* itèm & *reſpondit*. Alvum verò poto cortice ſæpè liquari omnes norunt, quicunque intermittentes curare illo conſueverunt. Sed certè ſupervacuum facit, qui opium Cortici tùnc miſcet, ne ventrem turbet; nàm vanus à turbato ventre timor eſt. Neque idcircò remedii virtus citiùs infrà abripitur, quam ſe inſinuet ſanguini; cum ex eo fortè nihil ſanguini ſe inſinuet. Videmus enìm tutiùs à recidivâ febri curari eos, quibus à Cortice alvus dejicitur. Exturbatâ nempè identidèm è ſtomacho inteſtiniſque unitâ cortici materiâ noxiâ: quæ aliàs tenujor ac mole minor, ſi ſola eſſet, per lactearum porulos propulſa novas intùs foret ſtataſque turbas excitatura. Atque indè fortaſsè eſt, quod totiès, perque certa ſpatia iterari illum oporteat; ut videlicèt morbidam materiam (quouſque ſcatet atque concluditur in Interaneis) ſubindè arctè com-

complectatur, ſic ut eâ unitate corporata admitti poſteà intrò in venas non poſſit, ſed inferiùs unà cum reliquis purgamentis paulatìm deſcendat. Hùc & illud facit, quod ſi vinum, in quo Corticem maceraveris, colatum dederis, minùs longè proficias, quàm ſi non colatum cum toto ſimùl trito Cortice ingeras. Sique, perſeverando, colato vino quidpiam proficias, id à vino potiùs, quod Intermittentium remedium & ipſum eſt, quàm à minimis trajectis ſuſpenſiſque in eo particulis factum eſſe opinator. Etenim non halitu quopiam afflatuque præſtare Cortex hic videtur, quicquid præſtat; ſed omninò ſuarum partium contactu; quarum paucitate (docente paſſim experientiâ) minuitur effectus ejus; aucto numero augetur. An, prætèr contactum complexumque, aliud quidpiam in eo latitet, rei conſcia Natura nemini hactenùs revelavit. Certum tamèn hucuſque eſt, ſi alitèr miniſtretur, quàm triturâ, tantum amittere virium ſuarum, quantum ab ipſius integritate detrahitur. Neque aliàs credibile eſt, eum, quantuſquantus eſt, in ſanguinem propelli, unàque in circulum rapi; nàm cum ſubigi nequeat in ſuccum, grandiuſculâ erit mole, quàm ut congruat cum

obliquâ viarum angustiâ. Si verò unquam corpulentior hospes intrò reciperetur, quas non continuò turbas, quæ non lethalia mala subsequi necessum foret! Quod si ità sit, eum minùs propriè Febrifugum appellamus. Et profectò, quantumcunque ejus modum ingeras, dum febrit jam sanguis, posteram quidèm occupabis febrim, præsentem neutiquam opprimes, aut avertes.

Dato cortice *roborari* stomachum, atque excitari vires, ex illius *adstrictoriâ facultate*, *adjunctâque amaritie* conjicere est. Nihilo tamen minùs, quorum morbida causa *præmaturius* illo premitur, & veluti strangulatur, ii deindè, licèt infebricitantes, quandam totius corporis *lassitudinem*, & *languorem* nescioquem diù sentiunt.

Calfacientis verò *naturæ* esse, eadem *illa amarities* inditio est. Quem tamèn potus excitat in Ventriculo, totoque indè corpore *incalescentiæ* sensum, non tàm à *nativâ* ejus *caliditate* diffundi arbitror, quàm ab eo; quòd sit hominum *stomacho* prorsùs *alienus*. Idem enim fieri novimus à rerum frigidissimis crystallo, coralio, chalybe, aliisque ejus generis, quæ semèl ingesta, ut confici sunt inepta,

pta,

pta, fatigant præter morem ventriculum, inani, ut illa conficiat, se frustrantem molimine, non absque largo suæ salivæ impendio; undè sitis interdùm oritur, sanguis tanquàm in vehementi exercitatione attollitur rarescitque, & calor toto in corpore propagatur. Hinc febri, quæ cum inflammatione est, noxium usum Corticis experimur; pulmonis autèm morbis duplici nomine; quibus præter caloris intentionem, distractionemque thoracicarum membranarum cum stomacho consentientium, affert unà (quantulacumque ea fuerit) adstrictionem, difficilè spirantibus certè inutilem.

Cumque *nihil aliud* sit, quàm *arida ligni Scobs*, eaque exucca nec digeri idonea, consequens est, illius usu labefactari aliquâ parte Ventriculum; neque propterèa iis, qui imbecillo eo sunt, dari utilitèr. Quæ causa est, quòd non omnes curari illo æquè possint. Nam *quidam* vix potum vomitu rejectant; vel si contineant, incidunt mòx nauseabundi in languorem: *Quidam*, etsi quoquomodo ab initio ferunt, nequeunt tamèn in eo perseverare: *Alii* eo curati, appetentiâ cibi paulò post defecti, ægrè admodùm, nec nisi novâ curatione restituuntur. *Est*, ubi diù illo tractam

curationem vagi in articulis dolores consequuntur; à subverso ventriculo crudis corruptisque succis transmissis in sanguinem. *Est* quoque ubi præmitti quædam peritè oporteat, quibus via sternatur curationi: veluti cum tollendæ priùs sunt, siquæ obstent, obstructiones, quas Cortex per se non tolleret; manentes, contrà, sufficerent identidèm suum febri fomitem. Quòd verò circumfertur, *iis, qui fistulâ, aut ulcere aliquo naturâ vel arte excitato repurgantur, frustrà esse id remedium*, paulò distinctiùs dicendum fuerat. Etenìm in iis ulceratis fistulosisque, qui stomacho valent, & sano aliàs corpore sunt, quod dicitur, non habet locum, reclamante protinùs experientiâ. Sed quia ad illiusmodi incommoda nonnisi in pituitoso ac fœdo habitu solent confugere perindè Natura quàm Ars; hìnc est, quòd non ulcus, sed causa ulceris obstet remedio. Quod fortè involutum exuberanti intùs pituitâ suomet pondere infrà descendit; dùm intereà expressi extricatique subtiliores succi, qui accessiones alternent, per lactearum oscula in sanguinem eluctantur. Proindè in *Peruano Cortice* ministrando *tria* sunt præcipuè consideranda; ipsa *ejus materies aliena stomacho*; *hujus*

jus firmitas & conditio, assumpturi habitus; quorum rectè initâ ratione, quid facto opus sit, prudentèr posteà deliberemus.

Quidam *attenuando, resolvendoque* sanguinem curare eum sibi persuasere; quùm, per initia accessionum nescioquæ coacti sanguinis argumenta notentur, quæ omnia post datum Corticem unà cum febre discutiantur. Posse porrò cogi utcunque sanguinem acessu illius succi, qualis qualis fuerit, qui exceptus lacteis venis defunditur in subclaviam, ego, quod in me est, haud dissentio. Attingi autèm à Cortice sanguinem (quantamcumque ejus liquandi vim habeat) ægrè adducor, ut credam, quemadmodùm & superiùs dixi. Neque idcircò, statìm objectent, *non habiturum, siquid coierat, undè resolvatur*; Cum à subsequente febre id habeat cumulatissimè. Quod prorumpens, declinante se illâ, sudor pafsìm ostendit, qui absque dato ullo Cortice sanguinem æquo suo motui restituit. Qùòd si à sanguinis resolutione Intermittentium curatio penderet, multa oppidò, nec minùs ad id efficacia haberemus. Quorum non tamèn singula iis æquè febribus remedio sunt. Quo verò unquam pacto cum iis conveniant, qui *In-*

termittentes affectum nervorum esse contendunt? ii certè non liquando ſanguinem, ſed *compeſcendo inordinatos nervorum motus* prodeſſe corticem aſſeverabunt; atque eò veriſimiliùs; quòd horum membranarumque diſtentiones cohiberi lenirique illo compertum ſit; expeditiùs ſanè, quàm à ceteris omnibus, quotquot ei rei dicavit antiquitas.

Communiſſima *ejus* in ſingulas vices *menſura*, denarium eſt. Ut autèm imbecillus Ventriculus, aut prima Ætas curanda erit, ſic remedium & metitor; & ſingulis, prout decet, accommodato. Provectiorem ætatem præſcripto *victoriato* curari ſecuriùs eſt; morbi ratio ſi patitur. Ubi efferatus vomitus (quod per initia febris ſolet incidere) vomendique vehementes niſus, utique in *obeſo anguſtique pectoris corpore*; ubi intereſt animi defectus; ubi alia periculoſa ſymptomata: ubi continuitatem præſeferunt, aut ſolâ remiſſione diſtinguuntur; magnæque ac longæ acceſſiones ſunt, ne differto plenum remedium. Nàm benè operam locaveris tuam, quâ periclitantem quoquo modo ſervaveris. Feſtinatâ curatione ſiquid nocueris, per minùs turbatum deinceps tempus emendabis. *Exitium nul-*

lâ

lâ arte corrigitur. Qui hanc Medicinam non ferunt, qui frustrà, quique non impunè eâ curantur, aliâ ii curandi viâ erunt; vomitu præsertìm (qui est apud nonnullos *Intermittentium eradicator*) Sale ammoniaco, & comparibus; tùm chamæmelo, aliisque id genus, quæ suprà recensuimus: tùm etiam interdùm pipere, gingibere, aro; quibus ritè ministratis, inque loco adhibitis non minùs felicitèr, quàm peruano Cortice, rem perficies.


Is optimè omnium *ex vino* datur, quod simùl remedium est, & quicquid Scobs exhibet stomacho negotii, roborando, compensat. Nonnunquàm *rosâ*, vel *mitridatio* commodiùs excipitur. Dari *ex aquâ* aliquandò præstat. Proindè, sicui vel ægritudinis, vel ægrotantis conditioni minùs convenire vinum videbitur, satis benè ex aquà exhibetur, seu purâ seu quâpiam stillatitiâ, sive etiàm, in quâ aliquid, quod ad rem faciat, decoctum sit. Qui *alia adjiciunt*, vel ceteris, vel certè sibimetipsis *fucum faciunt*. Qualiacumque enim, aut supervacanea sunt, aut illius operam interturbant: utique *infernè quæ purgant*. Quòd si experimentis se tueantur; nos adhibiti nudè Corticis multò plurima contrà referemus. Sed

vel

vel intèr pares, esset tamèn præferenda simplicitas: Ut prætereamus, quæ ipsis, præcipuè *ob adjuncta purgantia*, non adeò prosperè cesserunt.

In patrio ipsius Solo *semèl* potum (ampliori tamèn, quàm hìc solet, mensurâ) curare ajunt Intermittentes. Id, si verum sit, Febris, Febricitantium, Cœli, Remediique illìc indigenæ naturæ debetur.

Quæ de *Intermittentibus*, *earumque Curatione*, atque *Auxiliis*, præprimis *peruano Cortice*, carptìm addidisse satis erit. Plurima, quæ tradidere ceteri Scriptores, consultò prætermittimus; nè actum agere videamur.



Quia verò nostro hoc in Opere, vice vulgarium, iis libitum est uti Mensurarum, Ponderumque *vocabulis, quibus meliorum temporum Scriptores usos invenimus, necessarium duximus hanc qualemcumque insolentiam Tyronum auribus conciliare.*

Sextarius *igitur, pendit uncias XV.*

Hemina *dimidiam sextarii partem*;

Cotu-

Cotula, major, *idem atque Heminæ*; minor *uncias ferè ſex*:

Cyathus, *quùm ſit Sextarii pars duodecima, pendit denarios, ſive drachmas X.*

Cochlearium *ſua ſibi menſura eſt*.

Denarius (*argenteus*) *Romanorum, qui idem eſt ac* Drachma *Græcorum, pendit Scrupula tria; grana ſcilicèt LXXII.*

Victoriatus (*denarius, in quo cuſa erat Victoria*) *Denarii, ſive Drachmæ dimidiam partem*:

De Scrupulo (*quod Græci Gramma vocant*) *non eſt cur quicquam moneam, cum notum cuique ſit conſtitui granis XXIV.*

Obolus *dimidium Scrupuli eſt. Sic, ut pendat grana XII.*

Semobolus *pendit grana VI.*

Pag. 4	vers. 8	*quò*	lege	*quo*
13	22	*quod*		*. Quod*
42	25	*cum, eâ*		*cum eâ*
54	16	*Siligenei*		*Siliginei*
62	4	*prætiosam*		*pretiosam*
72	18	*cubari*		*cubare*
92	22	*per quam*		*perquàm*
95	9	*obructionis*		*obstructionis*
97	26	*proundere*		*profundere*
104	19	*quia bilis; tum*		*, quia bilis tùm*
128	3	*aliquis, dolor*		*aliquis dolor*
145	10	*ut iis*		*ut in iis*
146	10	*sæculo*		*Sœculo*
147	26	*habere*		*habere eum*
153	24	*substinuerit*		*substinuerint*
157	6	*exibitoque*		*exhibitoque*
167	21	*ausculet*		*auscultet*